
ANTIDOTVM
MELANCHO
LIÆ
OCO.SERIVM
Inspice
Volue
Uale
FRANCOFVRTI
apud Ioannem Bencard

ANTIDOTUM MELANCHOLIÆ

JOCO SERIUM

Inſpice

VOLVE

Vale.

FRANCOFURTI
apud
JOANN. BENCARD,
BIBLIOPOL.
ANNO M DC LXVII.

NOMINATISSMO

PER OMNES TERRARUM TRACTUS NOTISSIMO, IN tenebris clarissimo, in luce obscurissimo, in malefactis singulis familiarissimo, in benefactis alienissimo Domino.

D. NEMINI,

Vulgò

NIEMANDT von Nirgendshausen

LIBERO BARONI

Zu Uberall und allen Orthen, &c.

Domino meo in angustiis & ærumnis semper gratiosissimo,

MAjorum nostrorum consuetudine receptum est, ut libri recenter editi Patronū sibi quærant, cujus sub præsidio lividos Zoilorum dentes securiùs effugiant. Hos cùm ego, ut qui maximè timere debeam, ad te confugio integerrime Domine *Niemandt, von Nirgendshausen*, tuisque adgeniculans sistor obtutibus, etiam atque etiam rogans, ut me tuo sub scuto, veluti Ajacis clypeo delitescere, omnibusque meo contrà perniciosam omnibus Melancholiam *Antidoto* prodesse, malumque tantùm à singulorum focis & foribus, à cardine & corde, à pectore & capite, à totâ denique microcosmi universitate

tate

tate arcere, repellere, & propulſare patiaris. Nec mireris me in tanto Patronorum numero tuam flagitare tutelam, & has qualescunq; divitias ingenij tibi ſoli dedicare & conſecrare; Cauſæ plures ſunt eæque graviſſimæ. Quis enim eſt ex omnibus, quos ſol Panomphæus aſpicit, aut alma rerum omniũ genitrix Tellus alit, qui Te collatorum in me beneficiorum magnitudine aut multitudine ſuperet? Cujus adeo in me propenſa voluntas fuit, ut tuam erga me munificentiam adæquet: cujus auxilium in ærumnis & moleſtiis tam promptè præſto fuit, ut tuis anumerari liceat meritis? NEMO, NEMO eſt, qui prius matre meâ mihi amicus fuit: NEMO eſt, qui ut par erat, edita prius opuſcula fratres meos commendavit; NE-

MO

MO eſt, qui juſto pretio eadem ſibi comparavit; NEMINEM à pueritia plus me dilexi; NEMINI plura bona quam mihi exoptavi; NEMINIS opem in adverſis, in miſerijs, in rei familiaris anguſtiis me expertum eſſe hiſce profiteor, & orbi univerſo notum volo. Dignum proinde juſtumque fuit, ut NEMINI præ cæteris probatiſſimum adverſus *Melancholiam* antidotum offerrem & conſecrarem. ſuſcipe igitur Domine gratioſiſſime, quod in grati animi teſtificationem tibi offero; tuere me adverſus malignantium malignos ſermones, Ego quoad vixero tibi Domino *NIEMANDT, von Nirgendshauſen* devotiſſimus ero & permanebo. Hiſce NEMINEM divinæ protectioni magis commendo quam meipſum & bene-

volum Lectorem. Datum in loco NEMINI magis noto, quam mihi; Anno NEMINI magis grato, quam mihi; die NEMINI in terris ſacro.

Frater tuus
Ex corde Intimus
NEMO.

Ad Lectorem liber.

NEMINE per varias oras volitabo
PATRONO
Nam quæ promerui munera
NEMO dabit.

(o)

PRÆFATIO.

Extant mille, Amice Lector, Auctorum mille impura figmenta & fabulæ, lasciva Veneris incendia, trita fallendi temporis gratia frequenti admodum Lectorum manu, utinam sine detrimento pudoris & sanctimoniæ. Nos verò in hac editione id conamur præstare, in gratiam vel eorum, qui atra bile acrius vexantur, vel eorum, qui otio detenti raris negotiis occupantur, ut loco sordidarum undarum limpidos facetiarum latices aperiamus, damusque in publicum ea, quæ honesta oblectatione lassam mentem recreant, omittimus autem ea, quæ castis mentibus obsunt. Hic ergo, Melancholicus quis-

quisquis es, aut poſt occupationum tædia relaxare animum quæris, cortinam remove, hic jucundum eſt inſpicere, hic tibi, ſi libet, licet amœnis & caſtis deliciis frui: nec eſt quod poſt hæc Spurcæ Cypridis incentivis, quæ in alijs proſtant, te oblectes.

Inſpice, Volve, Vale!

Arte, quam Marte ſis potior.

STudioſus quidam ad hoſpitium divertens hanc tabulæ creta inſcripſit ſententiam: *Iacet enſis penna triumphat.* Miles aderat illud obſervans, adjecit: *Hic Scriptor eſt nequam.* Quam Cenſuram advertens Studioſus, ſuo deleto verſu, alterum reliquit, nomine militis ſignatum.

Advocatus factus Monachus.

ADvocatus Coloniæ magni nominis cum ordinem quendam Religioſum intraſſet, & monaſterij lites propugnaret, plerumque causâ cecidit. Interrogatus cur modo cauſas omnes quas antea feliciter deducebat, perde-

ret: reſpondit: *quia non ita ut antea mihi mentiri licet.*

Aſinus bibens.

CОnfluentiæ Molitor unà cum aſino ſuo civis cujusdam domum ingrediebatur, qui vas muſto uvisque nondum preſſis repletum videns audacter hauriebat: Quod cum civis, vini dominus, advertiſſet, molitorem ad judicium reſarciendi damni cauſâ vocavit, qui interrogatus de toto rei ſucceſſu, multa in ſui defenſionem protulit; tandem è cive num aſinus ſtans ſedensve bibiſſet; quæſitum fuit, reſpondit hic, bibiſſe ſtantem: Ergo, ſubdit Conſul: *fuit potus honorarius, qui non ſolvitur.*

Advocati duo Pariſienſes compatres.

PAriſijs duo fuêre Advocati compatres, horum alterum quidam rogat, & cauſam ſuam adverſus ruſticum anta-

gonistã agat: Annuit sed paulò post adversarius rusticus adest; cùmque multò plus pro assistentiâ polliceretur, etiam huic operã suã spondet. Redeunte primo se excusat, quod intercidentibus alijs negotijs atque occupationibus promissam operam præstare nequeat. Eum tamen ad Procuratorem alterum Compatrem suum ablegat cum hac recommendatione: Compater mi venerunt ad me duo Capones pingues, pinguiorem cæpi ego, alterum vobis mitto, hunc deplumetis vos, meum ego deplumabo.

Altero alter carere nequit.

ZWifeldienses decretũ fecerunt, ne rusticis domũ & villicis in urbe habere liceret: idq; à suo Principe ut confirmaretur petierunt, allegantes, civitatem civium esse debere. Princeps, antequam, inquit, mandatum promulgetur, à vobis scire cupio, quid rusticis respondendum sit, si venerint dicentes: Quemadmodum civitas civium est, ita rus rusticorum esse debet; sicque aliud

ipſi decretum petierint, ut ſicut ruſtici in civitate domum, ita civibus ruri prædium habere non liceat. Ad quod obmutuêre cives, videntes *alterum alterius operâ carere non poſſe.*

Avarus vinum diluens.

QUidam avarus, cum vinum familiæ præbendum nimiâ aquâ dilueret, aliusque obambulans vel fortè è regione ſedens idipſum diligenter obſervâſſet, vidit alium ſtrenuè tuburcinantem, hinc continere ſe non potuit quin exclamaret: *Ecquando molendinum hoc ſiſtetur? Nondum hoc fiet* inquit alter, *quandoquidem tu aquam affundere non ceſſas.*

Ablatum rarò redditur.

SAtanas dæmoniolum quoddam caſtigavit, quod tamdiu, quem ad furtum induxerat, obſervâſſet, ne ablatum redderet, ſatis eſſe aiens, quod furtum ipſi perſuaſerit, neque enim fures facilè niſi coacti, quæ abſtulerunt reſtituunt.

Aſinus Aſinum ſalutans.

STudioſis quibusdam animi relaxandi gratiâ obambulantibus ruſticus quidam aſino inſidens occurrit; Vehementer hoc rudente non nemo Studioſorum increpando erumpit, cur inſulſam hanc beſtiæ vocem non comprimeret: Reſpondit ruſticus, meus aſinus hoc in more habet, quando è Confratribus ſuis unum videt, eum ad hunc modum ſalutat.

A littera cur in omnibus 72. linguis ſit prima?

REſpondeó quia totum os aperiendum eſt ad ejus pronunciationem quod non neceſſe eſt in alijs litteris. 2. quia clariſſima littera. 3. quia A eſt ſimile △ id eſt, triadi, & Deus vocatur A Principium, & O, id eſt, finis omnium.

A littera unde figuram ſuam habet?

K*Ircherus fol. 385. Columm. Pamphil.* ait deductam eſſe illius figuram

ram ab Ægyptica Ciconia Ibus dicta, quæ rostro suo reflexo, dum fricat, utrumque extensum longum pedem quasi A format.

A litteræ mysterium.

K*Iherus ait*, A esse symbolũ profectus & defectus rerũ hujus mundi eo modo à prima lineola, ceu ₂A₄ gradu ascenditur ad secundam, ad tertiam, tum iterum fortuna & ætas descendit, hinc est princeps littera.

Apelles cur fortunam pinxit sedentem?

ROgatus Apelles causam respondit, quia nunquam stetit.

Aristoteles cur dictus à Platone Mulus? Cornelius à Lapide in Isaiam.

QUia Mulus, cum saturatus est lacte materno, matrem calcibus petit: sic & Aristoteles optimis quibusque Platonis dogmatibus suffartus, scholam con-

contra eum in Peripato aperuit, ejusq; perpetuus esse voluit Adversarius.

Anserum è Ciliciâ volantium silentium. Cornelius à Lapide in Ezech.

ANseres è Cilicia volantes turmatim Taurum montem transituri, metu aquilarum ibi degentium, quas infestas sentiunt, ore lapidem capiunt grandem, osque obdurant, ne strepant tantisper, dum periculum prætervehantur. *Testis est Plutarchus lib. de solert: animal.*

Ancona Italiæ Urbs cur ita dicatur? Cornelius à Lapide in Ezech.

PLinius de *Ancona Urbe Italiæ*, ejus etymon ex situ assignans lib. 3. c. 13. in ipso, inquit, flectentis se oræ cubito sita. *Ancon* enim græcè est cubitus. *Ancona* itaque dicitur, quia in angulo inflexo quasi in cubito sita totam illam Italiæ regionem tuetur.

Auſtriã geſtare quid ſit?

ex Decade 1. Stradæ lib. 3.

JOannes AuſtriacusCaroli Quinti F. Belgij Gubernator, quod ad lævam temporum partem erectum natura capillum habebat, omnem à fronte crinem revocare cæpit: quodque placeret illud porrectæ frontis additamentum, inde uſus derivatus eſt retorquendi ſuſtinendique capillamenti, adeò ut qui eo ſuggeſto capitis utuntur, vulgò geſtare *Auſtriam* alicubi dicantur.

Aqua quo tempore vino miſcenda?

SUnt Medici qui ſuadent aquam vino miſcendam non immediatè dum bibere cogitas, ſed aliquot horis antè, nè ſcilicet hi duo hoſtes in noſtro corpore conveniant, ſed in terra peregrina uniantur.

Annus Platonicus ceu Annus magnus.

OCtavus cœlorum orbis, licet quotidiè

tidiè primi mobilis raptu volvatur, ſuo tamen motu teſtudineo, non niſi ſingulis 36. millibus annorum in orbem planè circumgyratur: & hoc temporis ſpatium *Annum Platonicum* ſeu *Annum magnum* appellârunt.

Annuli quo digito geſtandi.

ANnulos inquit Iſidorus lib. 9. Orig. c. 33. primum homines geſtare cœperunt, quarto à pollice digito, quod inde vena uſque ad cor pertingat.

Annulus Caroli Quinti.

CArolus Quintus habuit annulum in quo pro adamante erat horologium, quâlibet horâ Dominum admonens.

Annulus Oblivionis & Memoriæ.

C*Ornelius à Lapide in Exod.* quod cùm Moyſes duxiſſet in uxorem Tharbin Filiam Regis Æthiopiæ, jamque in patriam redire ſtatuiſſet, uxor

omnino conata fuit reditum præpedire. Cujus blandimentis se ut Moyses subduceret, duos annulos fecisse fertur gemmis insertis tantæ virtutis, ut alter memoriæ, alter oblivionis vim conferret, illum verò oblivionis dedisse uxori, alterum memoriæ sibi reservasse ne patria unquam excideret.

Annulus Cardinalis Baronij.

HIc in annulo Calvariam sculpi jusserat insinuans à morte pendere æternitatem, quam semper in oculis, semper in animo defixam habebat.

Amethisti gemmæ virtus.

QUi hunc in annulis circumferunt, ubi gemma sudare incipit, vicinum venenum persentiscunt.

Ægyptij vocantur muscæ Isaiæ cap. 7. & Assyrij apes cur?

ÆGyptij vocantur muscæ, 1. ob vocis absonæ stridorem. 2. ob impuden-

pudentiam. 3. quia instar muscarum fœtidi erant & immundi. 4. quia instar muscarum crescebant & multiplicabantur. 5. quia Ægyptus utpote calidissima regio in qua vix unquam pluit scatet muscis & culicibus. Apes verò Assyrij 1. quia potentes erant sagittis, ut apes aculeis. 2. quia instar apum auratis armis & variegatis vestibus conspicui erant. 3. quia in bellis & actibus suis seduli sunt & laboriosi.

Æthiopes cur nigri?

Multi causã refundunt in solis æstũ: sed hæc genuina ratio non est, nã & extra Æthiopiam gignunt nigras proles: est ergo in causa maledictio Chami Æthiopum Propatris sui primi parentis. *Kircher. de Luce & Umbra fol. 100.*

Amor quid:

Amor est gratum vulnus, jucundum venenum, suavis amaritudo, lætum martyrium, blanda Mors.

Aliud de eodem

quisquis es, aut post occupationum tædia relaxare animum quæris, cortinam remove, hic jucundum est inspicere, hic tibi, si libet, licet amœnis & castis deliciis frui: nec est quod post hæc Spurcæ Cypridis incentivis, quæ in aliis prostant, te oblectes.

Inspice, Volve, Vale?

Arte

Arte, quam Marte sis potior.

STudiosus quidam ad hospitium divertens hanc tabulæ creta inscripsit sententiam: *Iacet ensis penna triumphat.* Miles aderat illud observans, adjecit: *Hic Scriptor est nequam.* Quam Censuram advertens Studiosus, suo deleto versu, alterum reliquit, nomine militis signatum.

Advocatus factus Monachus.

ADvocatus Coloniæ magni nominis cum ordinem quendam Religiosum intrasset, & monasterij lites propugnaret, plerumque causâ cecidit. Interrogatus cur modo causas omnes quas antea feliciter deducebat, perde-

ret: respondit: *quia non ita ut antea mihi mentiri licet.*

Asinus bibens.

COnfluentiæ Molitor unà cum asino suo civis cujusdam domum ingrediebatur, qui vas musto uvisque nondum pressis repletum videns audacter hauriebat: Quod cum civis, vini dominus, advertisset, molitorem ad judicium resarciendi damni causâ vocavit, qui interrogatus de toto rei successu, multa in sui defensionem protulit; tandem è cive num asinus stans sedensve bibisset; quæsitum fuit, respondit hic, bibisse stantem: Ergo, subdit Consul: *fuit potus honorarius, qui non solvitur.*

Advocati duo Parisienses compatres.

PArisijs duo fuêre Advocati compatres, horum alterum quidam rogat, & causam suam adversus rusticum anta-

gonistã agat: Annuit sed paulò post adversarius rusticus adest; cùmque multò plus pro assistentiâ polliceretur, etiam huic operã suã spondet. Redeunte primo se excusat, quod intercidentibus alijs negotijs atque occupationibus promissam operam præstare nequeat. Eum tamen ad Procuratorem alterum Compatrem suum ablegat cum hac recommendatione: Compater mi venerunt ad me duo Capones pingues, pinguiorem cæpi ego, alterum vobis mitto, hunc deplumetis vos, meum ego deplumabo.

Altero alter carere nequit.

ZWifeldienses decretũ fecerunt, ne rusticis domũ & villicis in urbe habere liceret: idq; à suo Principe ut confirmaretur petierunt, allegantes, civitatem civium esse debere. Princeps, antequam, inquit, mandatum promulgetur, à vobis scire cupio, quid rusticis respondendum sit, si venerint dicentes: Quemadmodum civitas civium est, ita rus rusticorum esse debet; sicque aliud

ipsi decretum petierint, ut sicut rustici in civitate domum, ita civibus ruri prædium habere non liceat. Ad quod obmutuêre cives, videntes *alterum alterius operâ carere non posse.*

Avarus vinum diluens.

QUidam avarus, cum vinum familiæ præbendum nimiâ aquâ dilueret, aliusque obambulans vel fortè è regione sedens idipsum diligenter observâsset, vidit alium strenuè tuburcinantem, hinc continere se non potuit quin exclamaret: *Ecquando molendinum hoc sistetur? Nondum hoc fiet* inquit alter, *quandoquidem tu aquam affundere non cessas.*

Ablatum raro redditur.

SAtanas dæmoniolum quoddam castigavit, quod tam diu, quem ad furtum induxerat, observâsset, ne ablatum redderet, satis esse aiens, quod furtum ipsi persuaserit, neque enim fures facilè nisi coacti, quæ abstulerunt restituunt.

As-

Asinus Asinum salutans.

STudiosis quibusdam animi relaxandi gratiâ obambulantibus rusticus quidam asino insidens occurrit; Vehementer hoc rudente non nemo Studiosorum increpando erumpit, cur insulsam hanc bestiæ vocem non comprimeret: Respondit rusticus, meus asinus hoc in more habet, quando è Confratribus suis unum videt, eum ad hunc modum salutat.

A littera cur in omnibus 72. linguis sit prima?

REspondeó quia totum os aperiendum est ad ejus pronunciationem quod non necesse est in alijs litteris. 2. quia clarissima littera. 3. quia A est simile △ id est, triadi, & Deus vocatur A Principium, & O, id est, finis omnium.

A littera unde figuram suam habet?

KIrcherus fol. 385. Columm. Pamphil. ait deductam esse illius figu-

ram ab Ægyptica Ciconia Ibus dicta, quæ rostro suo reflexo, dum fricat, utrumque extensum longum pedem quasi A format.

A litteræ mysterium.

KIsherus ait, A esse symbolũ profectus & defectus rerũ hujus mundi eo modo à prima lineola, ceu 2 A 4 gradu ascenditur ad secundam, ad tertiam, tum iterum fortuna & ætas descendit, hinc est princeps littera.

Apelles cur fortunam pinxit sedentem?

ROgatus Apelles causam respondit, quia nunquam stetit.

Aristoteles cur dictus à Platone Mulus? Cornelius à Lapide in Isaiam.

QUia Mulus, cum saturatus est lacte materno, matrem calcibus petit: sic & Aristoteles optimis quibusque Platonis dogmatibus suffartus, scholam con-

contra eum in Peripato aperuit, ejusq; perpetuus esse voluit Adversarius.

Anserum è Ciliciâ volantium silentium. Cornelius à Lapide in Ezech.

ANseres è Cilicia volantes turmatim Taurum montem transituri, metu aquilarum ibi degentium , quas infestas sentiunt, ore lapidem capiunt grandem, osque obdurant, ne strepant tantisper , dum periculum prætervehantur. *Testis est Plutarchus lib. de solert: animali.*

Ancona Italiæ Urbs cur ita dicatur? Cornelius à Lapide in Ezech.

PLinius de *Ancona Urbe Italiæ*, ejus etymon ex situ assignans lib. 3. c. 13. in ipso, inquit, flectentis se oræ cubito sita. *Ancon* enim græcè est cubitus. *Ancona* itaque dicitur, quia in angulo inflexo quasi in cubito sita totam illam Italiæ regionem tuetur.

Austriã gestare quid sit?

ex Decade 1. Stradæ lib. 3.

JOannes Austriacus Caroli Quinti F. Belgij Gubernator, quod ad lævam temporum partem erectum natura capillum habebat, omnem à fronte crinem revocare cæpit: quodque placeret illud porrectæ frontis additamentum, inde usus derivatus est retorquendi sustinendique capillamenti, adeò ut qui eo suggesto capitis utuntur, vulgò gestare *Austriam* alicubi dicantur.

Aqua quo tempore vino miscenda?

SUnt Medici qui suadent aquam vino miscendam non immediatè dum bibere cogitas, sed aliquot horis antè, nè scilicet hi duo hostes in nostro corpore conveniant, sed in terra peregrina uniantur.

Annus Platonicus seu Annus magnus.

OCtavus cœlorum orbis, licet quotidiè

tidiè primi mobilis raptu volvatur, ſuo tamen motu teſtudineo, non niſi ſingulis 36. millibus annorum in orbem planè circumgyratur: & hoc temporis ſpatium *Annum Platonicum* ſeu *Annum magnum* appellârunt.

Annuli quo digito geſtandi.

ANnulos inquit Iſidorus lib. 9. Orig. c. 33. primum homines geſtare cœperunt, quarto à pollice digito, quod inde vena uſque ad cor pertingat.

Annulus Caroli Quinti.

CArolus Quintus habuit annulum in quo pro adamante erat horologium, quâlibet horâ Dominum admonens.

Annulus Oblivionis & Memoriæ.

COrnelius *à Lapide in Exod.* quod cùm Moyſes duxiſſet in uxorem Tharbin Filiam Regis Æthiopiæ, jamque in patriam redire ſtatuiſſet, uxor

pudentiam. 3. quia instar muscarum fœtidi erant & immundi. 4. quia instar muscarum crescebant & multiplicabantur. 5. quia Ægyptus utpote calidissima regio in qua vix unquam pluit scatet muscis & culicibus. Apes verò Assyrij 1. quia potentes erant sagittis, ut apes aculeis. 2. quia instar apum auratis armis & variegatis vestibus conspicui erant. 3. quia in bellis & actibus suis seduli sunt & laboriosi.

Æthiopes cur nigri?

Multi causā refundunt in solis æstū: sed hæc genuina ratio non est, nā & extra Æthiopiam gignunt nigras proles: est ergo in causa maledictio Chami Æthiopum Propatris sui primi parentis. *Kircher. de Luce & Umbra fol. 100.*

Amor quid:

AMor est gratum vulnus, jucundum venenum, suavis amaritudo, lætum martyrium, blanda Mors.

Aliud de eodem

NIl ego amore aliud puto, quam ſine vivere vitâ,
Quam ſine morte mori: requies eſt plena laborum.
Stultus amor, longo comitata dolore voluptas,
Principiumque malorum, idem finisq; bonorum.

Amatur ubiq;

QUidquid ubique vides, terram, mare, ſidera, cœlum,
Omnia conſtanti fęedere nectit amor.
Audeat & quisquam maledicere ſanus amori?
Quo nihil orbis habet charius & melius.

Anſer.

ANſeris indicio capitolia tuta fuiſſe
Quis negat? at veteris periit jam gratia facti.

Amicitia.

INgenuus magni theſauri eſt inſtar amicus

Huic, qui tale bonum servandi noverit artem.

Annulus.

ET mihi principium fuit, & mihi terminus, at nunc
Nec mihi principium, nec mihi terminus est.

Amor.

POnderibus librata suis rota temperat horas,

ÆNIGMA
De Ansere Agno Ape.

QUæ animalia orbem regunt? R. Agnus pergamenam; anser calamum, apis ceram pro conficiendis mandatis præbendo.

Barbata mulier.

POtestnè probári mulierem quandã habuisse barbam? Respondeo quod sic, & est Judith portans in perâ suâ barbatum Holofernis caput.

Barbâ deceptus Judæus.

NObilis Francofurti, in domo chirurgi, barba tondendus, à Judæo, cui magnam pecuniæ ſummam debebat, ad judicem vocabatur; quem cum nobilis rogaſſet, ne venire priùs cogeretur, quam barba raſa eſſet; Judæus hoc aſtantibus multis conceſſit: Nobilis autem deinceps barbam ſuam nunquam tonderi voluit.

Barba rufa.

HOſpes barbæ rufæ cum apud hoſpitem concolorem pecuniam depoſuiſſet, illico pœnitens facti eam repetit, cauſam ſubitaneæ mutationis ſciſcitanti reſpondit:

Parvos raro humiles vidi rufosq; fides. Ipſe tamen tu, inquit alter, *rufus es*; & ideo, ſubdit te hoſpes rectius mones.

Barba veniens.

AUdivit Auguſtæ Suevus, ſibi barbam venire, qui mox ad urbis por-

tas acceſſit, venientem exſpectans barbam.

Barba vendita ridiculè.

DUo Parochi in Alſatia à quodam ruſtico prolixam, quam geſtabat barbam pro maldro frumenti emerant, ita ut ad illam alter ab altero independenter jus haberet. Unus confeſtim vocato chirurgo ſuam partem barbæ emptæ curavit detonderi; alter ajebat. *Ich laſſe meinen Theil noch eine vveil ſtehen.* Iratus ruſticus ambos Parochos accuſavit à quibus ſe deceptum aſſerebat, ſed præter irriſionem mediamque barbam nihil obtinebat.

Si benè barbatum faceret ſua barba beatum.
Nullus in hoc circo fuerit felicior hirco.

Baptiſmus lepidus.

ACcuſatus fuerat Parochus quidã, Baptiſmi malè adminiſtrati: Prætor ergo pagi aliique à judicio coëgerunt Parochum, ut coram illis baptizaret:

ret; quare locó infantis protulerunt truncum, ut in illo omnes cæremonias viderent, Parochus ergo cum venisset ad formam baptismi, ait: *Ich tauffe dich im Nahmen deß Junckers deß Schultheissen vnd deß gantzen Gerichts.* Exclamat prætor & alij, *ha ha*, pulcher baptismus! respondit ille: *qualis infans talis baptismus.*

Bibendi cupiditas.

MAjolus in diebus Canicularibus narrat, de quodam Physico; qui circa crepusculum vespertinum benè potus, templum intravit, cumque dormiret, ab æditųo, ignorante eum hic esse, inclusus est. Noctu expergiscens intolerabili laborat siti, cumque ad relicta aspiraret pocula, neque exitus pateret, campanam (ut in magnis incendiis consuetum) fune ducto pulsat: sed ubi homines cum aqua advolassent, aperto ostio bibulus è templo prodiit, exclamans: quid jam tantum aquæ? Unus vini sestertius, ad totum incendium, quod fauces meas occupat, extinguendum

dum ſufficit. Quo dicto aliis riſum, aliis indignationem movit.

Barbariſmi concertatio.

TRes Poloni de Gallina in menſa appoſita concertabant, ut illa illius eſſet, qui maximè barbarè loqueretur. Primus ergo dixit: *O Luna quam longè diſtas ab ego.* Alter: *O ſol quantum ego diſtare à tu.* Tertius arrepta gallina. *hæc ſola*, ait, *pro omnium latinorum meorum ſufficiebit.* & hic eam obtinuit.

Barba.

RUſticum quendam vicino ſuo enormiter barbato (neſcio qua de cauſa) validè offenſum, Religioſus quidam placare cupiens, verè inquit, vicinus tuus eſt homo prudens & bonus. Alter reſpondit: *Ia vvan ſein VVitz ſo groſs als ſein Bart vvere, ſo vvere er ſchon längſt* Prior *vnder den Geiſſen vvorden.*

Bibo lepidus.

CUm quidam vino ita ſe ingurgitaſſet, ut ſubitò ægrotare cœpiſſet

Medi-

Medicus accersitus venam exploravit, bone fili dicebat, Scyphus te pupugit; cui æger, si hoc præscivissem, ex vitro bibissem.

Bartholomeana noctes in Gallia. Strada Decade 1. lib. 7.

PArisijs patrata est Anno 1572. memorabilis illa Hugonottorũ cædes, quam, quod in nuptijs peracta est Henrici Navarræi Regis (*qui postea Galliæ Rex Henricus Quartus*) & Margarithæ Caroli sororis, ipsa *Bartholomæi* nocte *Bartholomæanas noctes* seu Parisienses nuptias appellarunt.

Belgium cur Flandria seu inferiores Provinciæ & Germania inferior vocetur.

BElgium quod & Flandria ab ejus parte illustriore apud externos & *inferiores provinciæ*, à depressiore aliquarum situ, sive ut Germanis placuit à linguæ morumque cognatione *Germania inferior appellatur.*

Bibep-

Bibēdi mos post dictas gratias unde manârit. Cornelius à Lapide.

SCholiastes Apollonij lib 1. tradit, tria fuisse præcipua & sacra pocula in convivijs Gentilium. 1. Jovis Sospitatoris. 2. Boni genij. 3. Mercurij Præsidis somni. 1. Jovis Sospitatoris dictum est bonæ valetudinis. Unde Galli dicunt *boire à la sante*. 2. Boni Genij id est, *Fortunæ*, quod post cœnā in ejus honorem hauriebant. 3. Ad somnum conciliandum, *quod adhuc servant Germani.*

Bescheidt *ut nomen una littera scribatur.*

FEcit id Viennæ nonnemo, qui diu exspectato à Cæsare responso & non impetrato, tandem illi exhibuit vaginam cum inscripta B littera.

Bombardæ vox unde?

REspondeo est Onomatopœja à sonitu, primò enim in explosione

bey

bey dem losdrucken ſonat quaſi *bom*, in aere facit *bar*, in termino *da*.

Bacchus educatus à Nymphis.

POëtæ finxerunt Bacchum à Nymphis aquatilibus quæ Plejádes vocantur, educatum. Fortè inſinuare voluerunt, miſcendum aquâ vinum. Au quod vitis pluvijs crebris irrigata, fœcunda reddatur.

Bibulus eſt Poëta.

PLus reliquis potare ſolent plerumque Poëtæ
Namque ſolent reliquis plus quoque amare ſales.

Bibo catarro oppreſſus.

OCcubuit vini gurgus merſusque catarro eſt.
Quis vini ultrices eſſe putaret aquas.

Bibulus pauper.

ANte nimis largos ducebat ſæpius hauſtus,
Hanc acquiſivit morbida burſa ſitim.

Can-

Cantoris peßimi ſuppri-mitur vana gloria.

MUſicus quidam valdè abſonè canens, quandoque fæminam lachrymantem conſpexit, putans, hanc cantus & ſuaviſonantis ſuæ melodiæ devotione, ad fletum eſſe commotam, quo elevante altius vocem, altius ejulabat mulier. Tandem finito cantu ſciſcitatur à muliere tanti cauſam fletus: Reſpondebat illa: ego ſum infelix illa mulier, cujus heri aſinum lupi dilacerarunt, & quando audio vocem veſtram, mei recordor aſini, quia inter veſtram meique aſini (*laudabilis memoria*) nullum omnino diſcrimen eſt.

Concionator in Cliuienſi Patria.

CLivis olim Ducum Clivienſium ſedis concionator lepidi ingenij in Feſto Circumciſionis ſtrenas inter populos pro more diſtribuebat, interque

alias

alias Paſtoribus funem dedit, à taberna uſque domum propriam extenſum, quo vacillantes rectius gradum moderarentur. Poſt concionem arcis Præfectus oratorem ſuæ adhibuit menſæ & hauſtu crebriore irrigatum à ſe dimittit, cumque greſſu vacillaret, nonnulli eum nomine appellantes, *ad funem ad funem* dicebant: ille, O cæci non videtis funem eſſe fractum quo dicto oſtendit pedes ſibi minus quam rationem conſtare.

Carthago cur ſic dicta:

Corn. à Lapide in Ezech.

SOlinus c. 30. urbem iſtam, inquit, cum Rex Hiarbaſ. rerum in Lybia potiretur, Eliſa mulier extruxit, domo Phœnix & *Karthadam* dixit, quod phœnicum ore exprimit civitatem novam, *Kartha* in idem eſt quod civitas, *bada*, nova. Porrò ex *Karthada* facta eſt *Karthago.*

Cardinales cur purpura & Galero rubro utuntur. Cornel. à Lapide in Ezech.

Quia

QUia primi Cardinales imò pene omnes primis 300. post Christum ãnis martyriis purpurati sunt. Hos ergo sibi imitandos proponunt Cardinales: quod ut faciant Paulus 2. Pontifex creatus Anno Domini 1464. vestem eis purpuream addixit atquè ante eum Innocentius IV. Anno Domini 1241. creatis duodecim Cardinalibus, primus eisdem Galerum purpureum assignavit, ut illi usque ad sanguinem & mortem Friderico Imperatori, hosti Ecclesiæ se se una secum objicerent, eique caput suum quasi murum opponerent.

Calvitium urbis quod dicatur.

JErem. 37. venit calvitium super Gazam. *Cornelius à Lapide ait*, Calvitium urbis esse idem ac explicationem & direptionem, ut ne pilum quidem reliquisse videatur super Gazam. 2. Calvitium idem est ac calamitas ingens & luctus, solebant enim se in luctu decalvare, ut patet *Isaiæ 15. 2. Ezech. 17.*

Care-

Carolus V. urbes ingrediens ad quæ respexerit.

AD tria. 1. ad horologium, num illud benè dirigeretur. 2. ad templum. 3. ad plateas, num mundæ essent & compositæ. Item tria P quærere solebat cequis in urbe esset Prætor, Pastor & Præceptor.

Clerici nomen unde.

A κλῆρος, id est, sors, quod scilicet sortem non ambiant in terra, sed quod instar Levitarum & Sacerdotum V. T. sors eorum sit Dominus, à quo hæreditatem exspectant in cœlo.

Cubare in latus sinistrum cur molestum & anxium sit.

QUia tunc cor, quod in sinistrum latus propendet à superimposito hepate æstuat & suffocatur. Unde hæc cubatio symbolum est animi soliciti, & sæpe evigilantis ob periculum imminens. Is habitus fuit Chaldæorum urbem

bem Jeruſalem ſolicitè obſidentium. In dextrum verò latus cubare ſomnum facit ſuavem & jucundum. Et eſt ſignum victoriæ Chaldæorum.

Colores quatuor principales. D. Harsdörffer in delitijs mathem.

PRimò *ruber* ſimilis igni. 2. *ceruleus* ſimilis aëri. 3. *viridis* terræ ſimilis. 4. *griſeus* aquæ ſimilis. Ex his coloribus mixtis omnis generis alij fiunt colores.

Colores quatuor in Luſu cartharum. Harsdörfter in delitijs mathem.

SIgnificant quatuor anni tempora. *Viridis* Ver. *Rubra corda*, Æſtatem. *Glandes* Autumnum. *Nolæ* hyemem nivoſam, dum vehiculis trahimur, & in Bacchanalibus cum nolis incedimus.

Camarinā movere unde? Harsdörff. in delitijs mathem.

IN Sicilia Lacus est, *Camerina* dictus, in hunc si lapidem injicias mox ingens oritur tempestas & imber. Hinc natum proverbium in eum, qui sibi ipsi malum concitat. *Camerinam movere*.

Caupo.

OMne tulit punctum, qui miscuit
utile dulci
Legerat hoc Caupo Fabius, bone Jupiter inquit,
Jam, dulci miscere mero licet utile flumen.

Cerevisia.

UNde suum ducat, quæris, *Cerevisia* nomen?
Quod *cerebrum visat* sæpè Sabelle tuum.

Cerevisia quid?

Respondeo: est Cereris vis in aquâ.

Cain.

DIc mihi quis quartam totius perdidit orbis

Partem? cujus erat tam ſcelerata manus Reſpondeo *Caim.*

Dic quid hoc?

IPſe ſui ſimul eſt accuſator, reus atque Judex & tortor. Denique fare quid eſt?

Reſpondeo: *Conſcientia.*

(Caim occide) verborum explicatio.

QUando Mompelieur creatur Doctor Medicinæ, dicitur illi vade & *Occide Caim*, hoc eſt Caupones, Arabes, Judæos, Mahometanos.

Conjugii Jocus?

QUæris habere tuâ pacem cum conjuge? cæcam
Ducito, vel fiat cæca, precare Jovem.
Neve ingrata domi vexent tibi jurgia mentem
Obtura auriculas, quâ potes uſque, tuas.

Converſationis regulæ tres?

MAjori cedendum; Minori cum modestia persuadendum; Æquali assentiendum

Campana.

LAudo Deum *verum*, plebem voco, congrego *Clerum*.
Defunctos *plango*, vivos voco, fulmina *frango*.
Non mea vox *vitæ*, voco vos ad sacra *venite*.
Sanctos *collaudo*, tonitru fugo, funera claudo.

Vel brevius.

FUnera *plango*, fulgura *frango*, Sabbata *pango*.
Excito *lentos*, dissipo *ventos*; placo *cruentos*.

Dentibus Laborans.

HOmo quidam dentibus laborans adeo pauper, ut etiam dentis evulsionem chirurgo solvere non posset, in plateis aspiciebat pistoris fenestras, & ca

& eas panibus recentibus ornatas ſedulo contemplabatur; quem videns lepidus quidam ſtudioſus interrogabat, quot tales panes una vice devorare poſſet? Reſpondit ille centum, & niſi tot comedero, *tu mihi hunc dentem extrahes.* Pacto inito comedit ultra viginti, cum jam plures non poſſet, me victum fateor, inquit, *cura mihi extrahi dentem hunc*, quod & factum eſt: ſicque ipſi & fames ſedata, *& dens extractus eſt.*

Domus quænam facilè fiat venalis.

DIogenes prodigi cujusdam ædibus inſcriptum videns: *Venalis eſt hæc domus*, ad circumſtantes dicebat; ſciebam dominum illius neque hunc bolum quidem ob nimiam crapulam retinere poſſe.

Doctrinæ acquirendæ modi duo?

PRimus: Eraſmus interrogatus à quodam qua ratione in doctum evade-

vaderet, respondit: si doctis assiduè conviveret: si doctos non minùs attentè audiret, quam reverenter: si doctos strenuè legeret. Si doctos diligenter edisceret: Si se doctum nunquam putaret. *Secundus modus,* Interrogatus à quodam Socrates qualiter ad tantam doctrinam evasisset: respondit *plus olei quam vini consumendo.*

Diogenes cur Cynicus dictus à Lapide *in Isaiam.*

Respondeo ob libertatem carpendi, & ob impudentiam, quia instar canis publice utebatur Venere, vocatus est Cynicus, id est *caninus & canis.*

Defunctis quomodo Gentiles valedixerunt? à Lapide *in Baruch.*

Ferebant cibum ad sepulchrum defuncti, cum lugubri ejulatu dicendo v. g. *resurge O Hector, comede, & bibe,* vel *vale.*

Dici

Diei bonæ imprecatio quãdo cessat, & loco illius aliud imprecantur homines.

RESpondeo ipsis calendis Januarij, quibus homines cessant precari bonam diem cujus loco dicunt *Felix novi anni auspicium.* Vel *felix Novus Annus.*

Dives quis sit?

NOn est crede mihi, multos qũi possidet agros,
Dives, sed dives, cui satis unus ager.

Divites avari.

FRigore clam gaudent teneros periisse racemos,
Sunt quibus annoso dolia plena mero:
Illius augetur pretium, quia grande liquoris,
Divitibusque ferunt publica damna lucrum.

His ego perpetuas hyemes det Jupiter opto
Tantaleamque sitim, Tantaleamque famem.

Epitaphium Semiramidis.

REgina Semiramis sepulchro suo inscribi jusserat in hunc modum: Si quis regum pecunia indigeat, aperiat hunc tumulum, & capiat quoad satis est. Hac epigraphe lecta Rex Darius sepulchrum aperiri jubet; sed loco thesauri sperati hæc reperit incisa verba; *Nisi insatiabilis te avaritia adegisset, certè mortuos non turbares.*

Ebrij ridiculi nautæ?

IN Hollandiâ cum quidam vino se inebriarent, & omnia secum moveri (*qui ebriorum mos est.*) arbitrarentur omnia è dómo, ut navim, in qua se esse putabant, vitamque salvarent ejecerunt: postero autem die vacuam videntes domum serò ridiculam deplorarunt stultitiam.

Equi-

Equites Lepidi.

DUo equites cum simuliter facientes, dolis, risibus & facetijs concertarent, unus caudam alterius equi præscidit, quod cum hic diu dissimulasset, tandem alterius equi labia præscidit ad dentes usque, ut ridentis speciem præseferret, quod videns dominus equi, prô inquit, quid facit meus equus? Respondit alter, irridet meum quod caudã amiserit.

Elias gratiosus Grammatista.

EGregius latinista interrogatus à quodam Episcopo quid novi portaret, nihil, inquit, nisi quod dicatur: *Das der Oberst Feldwebel Friedländer, genandt VVallenstein seye rebellisch worden*, atque ideo, *mit einer Marcipan erstochen vvorden. VVo mit fragt der Bischoff?* cui ille: *es sichet einer Helleparten nicht vngleich*, volebat dicere, *Parthesan.*

Errata aliquorum aperta aliorum occulta, Ex Epidorp.

CUm quidam Medicus nescio quod in pictura erratum reprehendisset, pictor astans, ægerrime id ferens, non in Medicum tantùm, verum etiam ipsam medicinam multa convitia effudit, inter alia illud quoque objiciens solis Medicis homines impune licere occidere, nec ullum esse medicum, qui plurima cœmiteria mortuis non impleat. Ad hæc Medicus, *bona verba*, inquit, *quæso. In hoc sanè vestra ars præstat, quod tam excellentiam, quam arrorem operis dies ostendit. At in eo fortuna nobis magis est propitia, quod curâ nostrâ sanitas, vivos omnium oculis exponit, sed errores nostros ab oculis ablatos, sub terram abscondit.*

Epitaphium potatoris.

HIc jacet extinctus valde venerabilis *Auss sauff*,
Von Brandtvvein vnd bitter Bier
Vnd ist also entschlaffen hier.

Epi-

Epitaphium hominis.

CUm fax, cum *fimus*, cum res vilisſima *ſimus*.
Unde *ſuperbimus*, neſcimus quando *perimus*
Tali namque *domo* clauditur omnis *homo*.

Epitaphium in Andream de Anguillis.

RIdent *Anguillæ*, quia mortuus hic jacet ille
Presbyter *Andreas*, qui capiebat *eas*.

Eva.

VIrgo fui, cum vix dedit una diecula vitam.

Ænigma de eade .

LActo meos natos, nullo lactata coloſtro
Nam tetigi labris ubera nulla meis.

In Ebrietatem!

EBrietas docuit primas agitare choreas,

Et cecinit primos ore rubente modos.
Hinc adeo in madidis cantatur ubique tabernis
Hinc amat obſcænos ebria turba choros.

Aliud.

COntinua ebrietas mentem mortalibus auffert
Quâ non majus habent pectora noſtra bonum.

In Ebrietatis imaginem.

QUis *typus* hic? Stolidæ vera ebrietatis imago eſt,
Cur ea veſte caret? demens ſecreta revelat.
Quid Gladius? cædes & vulnera. *Cornua quidnam*
Deſignant? reddit petulantes. Illa corona
Quid *ſceptro ſuſpenſa*? adimit nempe iſta monarchis.
Cur *velati oculi*? obcæcat quia lumina mentis.

Ebrius vinum non accuset.

Quod potu peccas, ignoſcere tu tibi noli:
Nam nullum crimen vini eſt, ſed culpa bibendi.

Expone hoc Epitaphium.

O Deus omnipotens vituli miſerere Joannis,
Quem mors præveniens non ſinit eſſe bovem.
Corpus in Italia eſt, habet inteſtina Brabantus
Aſt animam nemo, cur? quia non habuit.

Facetum ruſtici dictum.

Ruſticus quidam dicere ſolebat, ſe quotidie quinque ſuo labore panes lucrari: interrogatus, quomodo eos conſumeret, unum, inquit capio, unum projicio, unum reddo, & duos do mu-

mutuos. Quod ita explicavit: unum in meum usum capio, unum projicio, quē porrigo novercæ meæ, unum Patri, quem illi reddo, duos liberis meis mutuando credo.

Facetum de parvis.

N*Icolaus Constantius* roganti cuidam, qui fieret, quod plerumque homines pusilli essent, ideo inquit, quia exiguo corpusculo se sufficere putant.

Facetum ridiculum.

M*Arcus Londensis* cum mensæ duram nigramque appositam vidisset carnem, continuò quantâ potuit celeritate nescio quid murmurans sese proripuit. Paulo post vultu lætabundo reversus & à suis rogatus cur tam subito è mensa surrexisset: Equidem ait, commensales charissimi, dici vix potest, quamprimum has carnes mensæ impositas vidi, quantopere conturbatus fuerim: argumentum enim *de sapore, odore, colore & duritie* sumens, jam de meâ mulâ actum, hasque ipsius esse carnes

pu-

putabam, celeriter ergo ad ſtabulum cucurri & ſalvâ inventâ mulâ ad vos revertor lætus.

Facetum.

Cum Romæ inter Doctos & Nobiles de *Franciſco Petrarcha ejusque operibus* ſermo haberetur, & quidam dicerent illum ex antiquis neſcio quibus verſificatoribus deſumpſiſſe. Alij verò illum è proprio ſuo cerebro ea, quæ hodiedum cum admiratione leguntur exprompſiſſe contenderent: Humor quidam Bononienſis (*de quibus jocis integer hic liber ſcribi poſſet*) qui ſermoni huic intererat, poſito pallio menſæ aſſidebat, mox ut ſententiam & ipſe ſuam diceret rogatur; Ego, inquit, exiſtimo *Petrarcham* antiquos Poëtas ita tractaſſe, quemadmodum Hiſpani pallia per noctem ſurrepta, quæ novis ornamentis novisque modis ita concinnant, ne agnoſci poſſint. Fortè ibi aderat Hiſpanus Nobilis qui audito hoc gentis ſuæ elogio converſo ad Humorem

rem vultu, quid tu, inquit, loqueris? Tum Humor mirabundus inquit, ergo tu Hiſpanus es? ac ſtatim puerum afferre juſſit pallium, eoque Humori injecto ſeſſum ſe recepit. *En ſatyricum dictum & factum!*

Facierum humanarũ diverſitas vnde? D. Harsdörf. in delicijs mathem.

Cauſa phyſica eſt ex conceptione & formatione prolis in utero materno. Hæc in omnibus ſemper aliquid diverſi habet. Voluit autem hoc Deus pro pulchritudine univerſi, quia varietas mirè delectat. Item eſt hoc opus animæ ipſius. Et hæc varietas non in faciebus tantum ſed & in vocibus, moribus, inceſſu, ſyngraphis, ac geſtu reperitur.

Frons exigua ſtupidum arguit.

Ariſtoteles in Phyſiognomicis ſcribit exigua fronte homines indoci-

dociles esse & ad disciplinas ineptas videri, atque ad *Suum* genus pertinere. *Sues* enim quia parvam habent frontem hinc sunt indociles, stupidæ atque impudentes.

Fumus, nos, vos, unde suam etymologiam habent? Harsdörff. in delicijs mathem.

F*Vmus* significat *Rauch*, quia non potest efferri hæc vox nisi spirando. *Nos* dum pronunciamus, spiritum quasi ad nos trahimus, dum *Vos* pronunciamus spiritum quasi repellimus à labijs.

Foramen aut rima per quã videre liceat quid in orbe agatur. P. Engelgraff Dom. 1. Adv.

P. Gauda dicere solitus erat unum foramen aut rimam esse per quam videre liceat, quid in orbe agatur, eamque rimam esse *cancellos confessionales*.

Fur mori maluit quam deformem uxorem ducere.

Con-

COnstitit horrendum furti reus ante tribunal

Et vinctas tenuit post sua terga manus.

Hunc cum formosum juvenem paupercula Virgo

Cerneret, in socium poscit habere suum.

Ad quam conversus morti modo proximus ille

Argutum nasum pressaque labra videt.

Moxque assistentem lictorem hortatur & inquit,

Ad jussam propera, vivere nolo, necem.

Mortuus utilius quia, quam tabesco superstes,

Atque brevem malo quam sine fine crucem.

Formosa mulier vitanda.

FOrmosæ occursus mulieris dæmonis arcus,

Parthorum tanquam dira sagitta furit.

In ſylvis præſtat baſiliſcum audire fre-
mentem,
Quam dulces cantus fœmineosque
choros.

Fumus.

EN qui me genuit ſine me non naſci-
tur ipſe.

In Fœminas.

FAma malum ; pejusque fames, ſed
fœmina, quales
Multæ, malorum eſt peſſimum.

Fortuna.

LÆta ſorte minus ſuperbiendum
Vnius eſt munus Dei fœlicitas.

Fortunæ inconſtantia.

UT levis ambiguo ſors miſceat o-
mnia luſu,
Conjugium, Mavors, Pontus & Aula
docent.

Gra-

Gratia Principum instabilis.

DIdacus Arias Cubicularius *Ioannis Regis Castiliæ* magna apud Dominum gratia, in familiari sermone aliud alijs eligentibus, semper est solitus clavum optare, quo instabilem magnorum principum gratiam affigeret, nè facilè posset avolare.

Gratiarum actio ridicula.

NUntius à pagi cujusdam communitate ad officialem proximæ civitatis munus ei quoddam oblaturus ablegatus est: dicenti autem officiali, gratias communitati meo nomine agito, & dic ut operâ meâ, ubi necessum, fuerit, liberè utatur. Respondit ille, ita faciat quoque Dominatio vestra, cum domina communitate, quam perpetuam habebitis bonam sororem.

Gandavum quid significet? Strada Decade *1, lib. 7.*

Fer-

FErtur cum Carolus V. Imperator rebellionem Gandavienſium ultuus, petijſſet ab Albano, quâ illos animadverſione dignos exiſtimaret? Reſpondiſſe, meritam eſſe contumacem patriam ut funditus everteretur; offenſumque immiti reſponſo Cæſarem juſſiſſe, illum in turrim aſcendere, urbemque inde totam æſtimare: tum interrogaſſe quot pellibus Hiſpanicis ad conficiendam æque grandem chirothecam (hoc enim ſonat Gallicum Gandavi nomen) opus eſſet? neque Albanum quippe Imperatoris offenſionem ex vultu cognoverat, quicquam addidiſſe.

Gheuſij quando ita appellati? Strada Decad. 1. *lib.* 5.

BRederodius in Culemburgicis ædibus peramplo convivio excepit 300. cives convivas conjuratos Bruxellis. Inter pocula quæſitum conjurationi & ſociis nomen, & ſic inventum. Brederodius narravit Culemburgio & Bergenſi, quid ipſe aliique qui propius

ad.

ad Gubernationem accesserant, audierint, hesterno die, nempe à Carolo Barlamontio, universam illam Nobilium coronam, voce Gallica Gheusios contemptim quasi mendicos ac nebulones appellatos. Itaque hoc nomen magnâ compotantium hilaritate suscipitur, clamatur, vivant Gheusij sub finem, cõvivij Brederodius, manticâ, quæ fortè domi reperta est, ad collum more emendicantium suspensa, ligneoque poculo vini pleno, manibus elato, convivis simul omnibus propinat. Deinde manticam propè assidenti tradit, is alteri &c.

Græci cur non habent nomen quod significet, ineptus? Harsdörffer in delicijs mathem.

QUia hoc vitium non curarunt, utpote familiarissimum omnibus Græcis.

In Garrulum

NOn opus est cordi faciat natura fenestram Hanc

Hanc supplet linguæ plurima rima tuæ.

Galenus Angelus

ANAGRAMMA

ANgelus es, bonus anne malus *Galene* salutis
Humanæ es custos, *Angelus* ergo bonus.

De quodam Gallo.

DAs nunquam, semper promittis *Galle* roganti,
Sic semper fallis, jam rogo *Galle* nega.

Gallus Gallinaceus.

M*Artia* dicor *Avis*, vigilo qui tempore noctis,
Victuros vigiles convenit esse duces.

Hugonoti Nomen undè:

Famianus Strada ex Decade 1. lib. 3.

FErum in conjuratione Ambosiana

Anno 1562. auditum primum Hugonoti nomen Cæsaroduno Turonum, hoc modo natum. Solenne à Cæsarodunensibus ad terrendos infantes *Hugonem* nominare, quem noctu pomæria urbis obequitantem, inque obvios euntem, pulsantemque commemorant. Cum autem hæretici, quorum plures tunc erant Cæsaroduni, circa ea pomæria, nocturnos cætus agerent, quoniam interdiu non licebat, factum est; ut tanquam nocturni lemures digito monstrarentur pueris, atque ab Hugone *Hugonoti* per deridiculum vocarentur, quanquam alij aliunde originem inclinant.

Herbipolis vino abundans. Cornelius à Lapide in Isaiam.

HErbipoli vineta abundant, adeo ut viri graves imò Principes ibidem mihi asseveraverint in urbe Herbipoli plus esse vini quam aquæ. Unde ibidem spectavi ingentia vini dolia, quo-

quorum quodque plus quàm 100. vini vasa seu amas continebat, habebatque ostia per quæ vinitores per dolia (perinde ut Diogenes in suum) ingrediebantur ad ea concinnanda & expurganda.

Herbipolensium mulierum in vestitu olim simplicitas, Corn. à Lapide.

VIdi Herbipoli (*ait Cornelius à Lapide in c. 3. Isaiæ*) matronas omnes etiam nobilissimas, pallia sive heucas habere, non serias aut laneas, sed ligneas, omnes enim pro heuca gestant *hottam* (qualem Leodij gestant Carbonarij) magis vel minus pulchram pro conditione personæ. Hottas has ingressuræ templum ante illud deponunt, egredientes recipiunt & dorso aptant. Credo in vitifera regione olim omnes uvas *hottis* exportasse, uti etiamnum faciunt, ideo hottarum usum conservasse. Sic ille, sed *jam alia Herbipoli facies!*

Hæresis nudipedum unde olim orta? Corn. à Lapide.

EX eo quod *Isaias olim c. 20.* jussus fuerit ambulare nudis pedibus, orti Nudipedes hæretici absurdi & turpes in multis.

Homines non egentes horologio? Harsdörffer.

SUnt *avari & amantes. Avari* quia pecunia omnem illis quietem adimit, Sicut pecuniam magis, quam horas numerare soleant. *Amantes*, quia præ amore nec audiunt nec vident, & à suo terrestri sole multas faustas atque infaustas horas expectant.

Homo ex quibus agnoscatur. P. Engelgraff.

EX *oculis, loculis, Poculis* agnoscitur omnis homo.

Henricus VIII. Rex Angliæ. Bzovius to. 20.

SUb Henrico octavo qui 376. monaste-

naſteria deſtruxit religioſi utriusque ſexûs ſupra decem millia in ſæculum redierunt.

Hirſavienſes.

CUm Rex Ungariæ Hirſaviam indè verò Francofurtum ad Cæſarem eligendum tenderet, & trahis (vulgò *Schlitten*) veheretur, incolæ urbis plateas confeſtim omnes nivibus expurgarunt, ut eo mundiores in tranſitu apparerent. Huic electione habita redeunti remunerari volebant ante neglecta, mittentes Conſulem cum pane & ſale, quem procedens præſentabat dicens *Dieſes präſentiren vvir Ihro Gnaden*, Legatus dixit: *Könnet ihr noch mehr Latein!* mox Conſul: *Nein nit ein Trecklein mehr.* Poſt hæc Regi ibidem pernoctanti unus Conſulum ollam lacte plenam offerre jubebatur quam in limine conclavis è manibus in terram ſinebat cadere. *O Complementa!*

Honorarium Alchymiſtæ.

P. Maſenius.

LEoni X. Alchymista quidam dedicaverat librum de arte aurum conficiendi, cum ergo honorarium amplissimum exspectaret, & eam ob causam Papam continuò affectaretur, tandem Pontifex crumenam satis amplam ei donat, ut, quoniam aurum ipse sibi conficere posset, haberet quo reconderet, ita hic spe sua frustratus est.

Hirundines.

IMplumes nido rapimur, medicina caduco
Namque cinis noster creditur esse malo.

Homo quid?

P. Radau in Orat. extemp.

FIngunt Poetæ scientias olim omnes ex Minervæ jussu esse convocatas, ut definirent hominem, sic cœpit

Dialectica.

HOmo est breve *Enthymema* pro Antecedente ortum & pro consequente interitum habens.

Astro

Aſtrologia.

HOmo eſt quaſi *Luna* mutabilis, quia nunquam in eodem ſtatu permanet, ſed ſemper ad corruptionem tendit.

Phyſica.

HOmo eſt *animal rationale mortale.*

Mathematica.

HOmo eſt velut *Figura Sphærica* ab eodem quo incipit puncto ad idem terminans.

Rhetorica.

HOmo eſt *oratio* cujus exordium eſt *naſci*, narratio *dolere*, Epilogus *mori*. Orationis hujus figuræ ſunt gemitus & fletus, vel gaudium fletu deterius, tota hominis vita nil eſt niſi *volo*, *nolo*.

In Helium.

QUod clamas ſemper, quod agentibus obſtrepis Heli;

Non facis hoc gratis, accipis ut taceas.

Ad Herodatum.

HIc Pater historiæ mendacia plurima finxit,
Quippe suis Musis dedicat historiam.

Quænam animalia puris vescantur elementis.

H*Alecem* unda fovet; *Salamandria* pascitur igne
Aëre *Cameleon*, telluris munere *Talpa*.

Iactabundus Miles.

P. Masenius.

MIles Hispanus alvearia transiens, extracto gladio aliquot eorum dissecuit, inquiens, sic mactabo hæreticos: verum apes lacessitæ turmatim in eum involarunt, tunc ille indignabundus inquit, *iniquum est omnes simul unum invadere, si quid audetis veniat una post alteram.*

Iudæus disputans convi-ctus. P. Masen.

Contendebat hic cum Christiano plures Judæorum quam Christianorum in cœlo Sanctos reperiri. Paciscuntur ergo inter sese, uterque suos sigillatim Sanctos recensens adquemlibet Sanctum alteri pilum evellit è barba, Incipit Judæus nominando Abraham & Christiano pilum evellit, Christianus Petrum nominat & facit similiter. Hac concertatione aliquamdiu durante, tandem Christianus moræ pertæsus exclamat, *S. Vrsula cum undecim millibus Sanctarum Virginum*; simulque involat in Judæum, totam ipsi barbam evellens.

Ira.

Rusticus Coriarium volebat accedere dictum *Leonh'ard Zorn*, sed in via oblitus nominis, quærebat, ubinam habitat *Leonhard Gentz*: Cùm dictum coriarium diu hinc inde currens invenire non posset, tandem prodijt u-

nus dicens , *es mus villeicht der Zorn ſeyn, Ia Ia*, inquiebat ruſticus, *ich vvuſte vvohl daſs es eine aus den ſiben Hauptſünden vvär.*

Italus propoſitum ſyllogiſmum reſolvens.

ITalus & Belga iter conficientes viderunt in pariete aſinum depictum. Interrogat Belga quid hoc eſſet: reſpondit Italus *eſt animal.* Mox Belga probo non eſſe animal: *omne animal currit*, quid dicis? ille, *laſs ſie currere*, atqui iſte aſinus non currit, reſpondit Italus *laſs ſie ſtare*, ergo non eſt animal: reſpondit alter, *chè importa?*

Interpretatio Litterarum S. P. Q. R.

Senatus PopulusQue Romanus.

Interpretatio Sybillæ de D E O.

Salva Populum Quem Redemiſti.

Beda de Gotis.

Stultus Populus Quærit Romam.

Itali Romam intrantis.

Sono Poltroni Questi Romani.

Protestantium Germaniæ.

Sublato Papa, Quietum Regnum.

Catholicorum.

Salus Papæ, Quies Regni.

Interpretatio Litterarum.

R. R. R.
T. S.
D. D.
R. P. R.
F. F. F. F.

Romulo Regnante Romam,
Triumphante Sybilla,
Delphica Dixit,
Regnum Romæ Ruet
Flamma Fame Ferro Frigore.

Alia. *P. P. P. P. P.*

QUam sis ducturus teneat P. quinque Puella
Sit *Pia*, sit *Prudens*, *Pulchra*, *Pudica*, *Potens.*

nem contineret (quippe à Catholicis hæreticisque conſcriptus) neutris, ut accidere, ſolet, partibus ſatisfecit. *Hinc natum credo proverbium, das Interim hat ein Schelmen hinder ihm.*

Judæi cur ſcribant à dextra ad ſiniſtram. Harsdorf. in Deliciis Matth.

RAvius in ſuâ Orthographia Hæbraica reſpondit, ideo, quia poſt diluvium ſtatim profecti ſunt ab oriente ad occidentem, cùm è contra alij populi in multiplicatione hominum profecti ſunt à meridie ad ſeptentrionem, atque ita ſcribunt à dextra ad ſiniſtram.

Judæi cur Francofurti geſtent flavum circulum in veſte. Harsdörff. in Delic. Math.

COnſuetudo hæc videtur orta à præcepto Dei in veteri teſtamento, ubi mandavit iis Deus, ut flavam lineolam in oris veſtimenti portarent, &

in hoc ſigno recordarentur mandatorum, Dei. Jam cum ora togæ non patiatur ornamenta quæ habebant in veteri teſtamento, in thorace aſſuunt è flavo panno circulum, ut ſimul ſatisfaciant præcepto divino & humano, quo jubentur diſtingui à Chriſtianis in veſtitu.

Iocus in Belgas.

BAttave, dic ſodes: qui te genuêre parentes?
Oceanus genuit. *Mergat & Oceanus.*

Iuniperus.

IN pretio mage rara forem: nunc copia vilem
Me facit & granis nullus habetur honos.
Præcipuè in Patria Medicina domeſtica ſordet,
Nec niſi de rubro littore miſſa placent.

Invidia.

Se

SE sponte invidus omnis odit ipse
Nam se sponte sua dolere torquet.

Ira.

VInce iram ratione: victor iræ
Vives perpetuò benè ac beatè.

Liberum & facetum Legati responsum.

ANtonius Puccius Florentinorum ad Philippum Ducem Mediolanensem Astrologiæ valde deditum Legatus, cum diu ut audiretur impetrare non posset quod Dux totus ex Astrologi consilio penderet, tandem à Principe (cum jam tempus advenisse commodum Astrologus monuerat) vocatus & mandata exponere jussus, venire renuit, inquiens, *si Duci ea hora horoscopus faveret, sibi non favere.*

De Legato Ismenia Thebano. P. Engelgraff.

HIc cum jussus esset accedere Persarum Regem, cum eum convenire

nire vellet, admonitus de Perſarum lege, qua cautum erat, ut nemo Regem adiret; quin genua flectens eum adoraret, quod facere Græcis ignominioſum erat, ut tamen legationi ſuæ Perſarumque legi ſatisfaceret, ſic egit: Annulum quem geſtabat clam detrahens ad Regis pedes projecit, confeſtimque procumbens, tanquam ipſum adoraret, annulum eundem è terra ſuſtulit, moxque relata legatione nihil à Perſa ei denegatum eſt.

Litteræ labiales, ſeu infantiles. Cornel. à Lapide.

PUeris familiares ſunt hæ litteræ labiales B.M.P. quare *Babam*, *Abbam*, id eſt Patrem, *mamam matrem*; *Papa* pultes appellant, hæ enim littteræ compreſſis labijs formantur; hinc *labiales* vocantur ſeu *infantiles*.

Longitudo hominis. Harsdorffer.

COnſtat hominem tam longum eſſe ac eſt octies ſuum caput. Facies

cies eius ter longitudinem nasi continet, pes ejus [1]. est de longitudine hominis. Umbilicus eius est centrum seu medium, cum se in crucem extendit.

Ludus cartharum anagramma aliquod. Harsdorff.

K *Arthen* per anagramma significat *Kenarth.* Lusor enim facile indolem suam prodit.

Lusus cartharum per achrostich. Harsdorff.

S *Chellen, Aichel, Rothe, Grüne.* sume litteras initiales & habebis *Sarg*, vel *Sark*, est enim lusus morborum tumba & sepulchrum.

Lusus hujus altera explicatio.

Significat hominum occupationes. 1. *circa nolas* hoc est vanitates & stultitias. 2. *circa glandes*, hoc est gulam & curam ventris. 3. *circa viride*, hoc est, spes & desideria inania. 4. *circa corda*, hoc est amorem variabilem.

Lusus alia adhuc explicatio?

SIgnificat quatuor elementa. 1. Enim *ignis per corda*, cor enim est principium caloris interni. 2. Aër *per nolas*, per aërem enim sonus ad aures defertur. 3. A*qua per viridem*, & maxime, *die Wasserklee*, quæ sine aqueo humore non crescunt. 4. *Terra per glandes* unde nascuntur & colliguntur.

De Lacone.

LAcon cum Lusciniam depilasset, carnisque exiguum invenisset, *vox quidem* inquit, *es tu, & aliud nihil.*

Lacon *alius.*

INterrogatus cur barbam perquam longam haberet, respondit, *ut, quoties canos meos aspicio, nihil indignum illis faciam.*

Lanterlühlorum *Descriptio.*

A*Nnis mille jam peractis.*
Nulla fides est in factis

Mel

Mel in ore, verba lactis
Fel in corde, fraus in factis.

Lingua.

LIngua bonum, quo non aliud præstantius ullum,
Peſtiferum multis eſt quoque lingua malum.

Lingua bona.

PAuca *loqui*, ſua verba *coqui* vult providus. *O qui*
Talia *conſueſcit*, ſemper cum laude *ſeneſcit*.

Lucrum bonum, malum,

NOn bene *lucratur*, dum nullus merce *lucratur*,
Hic *applaudatur*, qui libram ſæpe *lucratur*.

Libera nos Domine.

A	Theologorum	*Diſtingue*	*Libera nos*
	Juriſtarum	*Excipe*	*Domine.*
	Medicorum	*Recipe*	
	Mala	*Mulier e mine.*	

mariti sui tyrannide, adsunt amici, & ex marito, quid ita asperè tractet cognatam suam, interrogant; respondit ille se non iniquo quidem animo ferre admonitionem, petere tamen ut cognosceretur causa. Ego, inquit, illam soleâ illa verò me antea durius *mit einem Waschblevvel* tractavit, id est, lingua qua mihi maledixit.

Mulier phantastica.

VIdi mulierem quæ ea imaginatione vexabatur, ut medium manus suæ digitum constringeret, tanquam in ipso totum gestaret mundum, plorabat autem illa, verita, ne quando digitum remitteret, totus orbis rueret, omniaque interirent.

De Mulieribus

E*Sist ein Kraut heist* Mulier,
Dafür hüte dich prudenter,
Sie betriegt dich fallaciter,
Das sage ich dir veraciter.

Mulierum fragilitas.

DIcere solebat Philosophus quidam aurum

aurum igne, auro fæminas, fæminis viros probari: ajebatque *Si ex argento essent fæminæ, ad cudendam monetam minime aptas fore, ut quæ mallei ictum sustinere non possent.*

Morum mutatio.

TRia sunt quæ hominum mores mutant, *Vinum, Fæmina, Honor*; unde illud: *Honores mutant mores, sed rarò in meliores.*

De Mulierum novem pellibus.

PElles fœmineum corpus habet novem

Piscis prima cutem refert *1. Salpæ*
Ejus, qui rigido stipite tunditur:
Hic quassus veluti silet.
Sic primum mulier cæsa molestiam
Tristem devotat ictus.
Nec rumpit querula voce silentium!
Vrsi dicitur altera, *2. Vrsi.*
Quæ pulsata diu multa remurmurat.
Huic vicinior anseris *3. Anseris*

Quem

Quem si sors tua pugnis rabies ferit.
  Confusis blaterat sonis.
Obtunditque tibi aures muliercula.
  Si pellem similem canis 4. *Canis*
Dextra contigeris, latrat iniquius.
  Sin hanc qua tegitur lepus, 5. *Leporis*,
Plantas consulit, & pestiferam luem
  Optat visceribus tuis.
Audax insequeris vir, corium manu
  Et dura violas equi? 6. *Equi*
Retro calcitrat, & verberat aëra,
  Teque ipsum, nisi cesseris
Adverso cubitu, calceque percutit.
  Pulsas ulterius cutem?
Felis viribus os involat in tuum 7. *Felis*.
  Tutis, & miserabilem
Vultum sanguineis sauciat unguibus.
  Sin quas suppeditat tibi
Flagrans ira suillā trabibus quatis 8. *Suis*
  Pellem? grunnit, ut illius
Vel saxum videatur misereri:
  Tu saxo quoque durior
Humanam invenies, ne dubita,
    cutem, 9. *hominis*.
  Tunc tunc res erit in vado.

Omnis

Omnis victor ovans tunc vocitaberis;
Nam circum tua brachiis
Nexis colla novas blanditias dabit,
Conversa & veniam petet.

De Molitore.

Wittenbergæ Superintẽdens molitorem mendicantem, suis subditis commendabat, pro impertienda ei misericordia, dicens, O Christi Fideles! quod molitor hic probus sit, habetis optimum argumentum, quia mendicat, alioquin furto & solitis molitorum artibus se nutriisset: proinde sit vobis imprimis commendatus.

De Medico.

Ad Joannem Saxoniæ Ducem Medicus quidam, qui se omnis medicinæ artificem pollicebatur, venit. Dux jocatus *nullum*, inquit, *suspicio, nisi antea triginta homines occiderit: non longe*, inquit Medicus, *absum à numero, viginti novem jam tumulavi.* Cui Dux: *non es ergo mihi idoneus medicus, timeo ne me trigesimum constituas.*

In

In Molitores.

COmmuni fertur adagio, nihil esse audacius indusio, molitoris, *siquidem furem collo apprehendit.*

De iisdem.

ERnestus Dux *Mantuæ* interrogavit quendam nobilem, an non sciret probum molitorem, quo opus haberet? respondit alter, scio certè, nam heri uxor molitoris mei peperit infantem de cujus probitate non dubito.

Manus mortuæ quænam Strada.

SIc vocantur Ecclesiasticæ personæ à nonnullis, eò quod Laicorum bona ad illas transferenda non sint.

Mulieres præficæ quæ dicerentur Gentilibus. Cornel. à Lapide.

EÆ erant quæ in planctum & omne Pathos faciles; atque ad hoc exercitæ & conductæ, sparsis crinibus, nudatisque pectoribus, voce modulata omnes

mnes ad fletum concitabant; Præficas vocabant, eò quod luctui præficerentur.

Mulier temulenta.

NOvi mulierem Marpurgi Dulciarij conjugem mirum in modum bibulam, quippè quæ celerrime incredibilem vini copiam exhauriret, ac nihilominus dein rem familiarem dextre administraret: hæc laudi sibi suam vinolentiam ducens dicere solebat: *Mein Mann schilt mich ohne Underlaſs ich seye nicht hauſslich, thut mir aber gevvaltig vnrecht, dann ich bey einem Stücklein Liecht eines Fingers lang, drey oder vier* Maas *VVein herauſs ziehen vnd vbertrincken kan, da sonst ein ander VVeib ein gantz gezogen Liecht haben muſs, ehe sie ein Maas herauſs lappert, vvann ich ein solche Säufferin vväre, möchte mich mein* Mann *unhäuſslich schelten.*

Mulierum perfidia.

Adam

Mulierum perfidia.

ADam, Samſonem, Loth, Davidem, Salomonem
Fœmina decepit, *quis modo tutus erit?*

Medicorum facies tres.

TRes Medicus facies habet, unam quando vocatur
Angelicam; mox eſt, cum venit ipſe Deus:
At pro curato dũ poſcit præmia morbo
Horridus apparet, terribilisque *Sathan.*

Medicorum Scomma.

S*Tercus* & *urina*, hæc Medicorum Fercula *bina*

Reſponſio Medicorum.

Sunt nobis *Signa*, at vobis ſunt fercula *digna.*

In Mendacem.

SI tibi dens caderet, quoties mendacia profers
Jam pridem haud poſſes ſumere credo cibos

Motus.

RES satis est *nota*, plus fætent stercora *mota.*

Ne Sutor ultrà crepidam.

ALexander *Magnus* in Apellis ædibus de pictura judicium ferens, cum quædam de arte aliena disseruisset, Apelles in aurem ipsi suggessit: *aut istis de rebus omitte disputare O Rex, aut submissius loquere, ne pueri qui colores terunt, & audiant & rideant.* Sic Ptolomæo de Musica disputanti dixit Musicus, *aliud est Sceptrum,* O Rex, *aliud plectrum.*

Nuptiæ secundæ raro felices.

VIduus viduam duxerat, inter quos cum contentio in prandio exorta esset, mulier per contemptum, semissem carnis appositæ resecuit, pauperiq; hisce verbis porrexit, hanc tibi in gratiam

tiam prioris mei mariti datum volo: videns hoc maritus sine mora alterum semissem ei porrexit, inquiens, & ego nunc tibi in prioris meæ uxoris gratiam dabo. Hinc factum ut panem solummodo reliquum haberent.

Nauta Hollandus.

HIc insidens equo feroci, cum modum regendi nesciret, equum concitavit ad vehementem cursum, cuius insuetus inpatiensque exclamat: *vverfft einen Ancker auſs, vverfft einen Ancker auſs, damit vvir an keinen Felsen stossen vnd zu Grund gehn*, credens eandem equi & maris esse remoram.

Ne rixis aliorum te immisceas.

QUidam duorum dirempturo, pugnam profundum capitis vulnus infligebatur. Itaque adducitur ad Medicum, qui cerebrum perscrutatur, num forte læsum fuerit. Videns id astantium non nemo *frustra tu*, inquit, *apud*

hunc cerebrum quæris, quod si cerebrum is habuisset, non se rixis alienis immiscuisset.

Nationum mali colores.

MOnebat quidam (*ab Italo rufo, Hispano albo, & Germano nigro,*) cave tibi.

Non à quovis accipe.

I*Llius Gracinus* egregius vir, cum amicis conferentibus ad impensas ludorum pecunias acciperet, magnam pecuniæ vim à Fabio Persio missam non accepit, objurgantibus his, qui non æstimabant mittentem sed missa, quod repudiasset, Ego, inquit beneficium ab eo accipiam, à quo propinationem accepturus non sim.

Nemini quidquã debeas.

VEnerat aliquis in stabulum fame & itinere exhaustus, ac reperit contubernalem asinum ad præsepe hordeo vescentem quem stimulante edendi rabie repulit, reliquias cœnæ avide

lucra-

lucratus. Mox cum ipsi Magister lautum epulum hordaceũ apposuisset, memor injuriæ socio factæ, pro esuriente asino relinquens suam solam tuburcinatus est.

Neosponsæ cur olim limen domus non tangerent? Corn. à Lapide.

Quia limen vel vestibulum Vestæ erat consecratum.

Nomen DEUS in omnibus linguis quatuor litteris constat. Harsdörff.

Syriacè, *Adad.* Persicè, *Syre.* & sic Galli vocant suum Regem. Hæbraicè, *Adom,* Turcicè, *Abdi* & *Alla.* Græcè, *Deòs.* Tartaricè, *Idga,* Bohemicè *Buuh.* Sclavonicè *Bolg vel Boog.* Italicè, *Idio.* Hispanicè, *Dias.* Gallicè, *Dieu.* Latinè, *Deus.* Indicè *Esgi vel Zini.* Ægypticè *Amun* vel *Teut.* Germanicè *Gott.*

Nullius valoris res.

INveni *ſaccum* non plenum ſæpe *ligatum*
Ollæ *contritæ* ſatis inveniuntur *ubiq́;*

Nox.

NOcte *laboratum*, non eſt opus undique gratum.

Orpheus novus.

QUidam cum ad oſtium puellæ fidibus luderet, ingruente jam nocte, lapidibus petitus eſt à famulis virginis amores ejusmodi aſpernantis, itaque fuga ſalutem quærere coactus, cum poſtridie in quosdam hujus rei conſcios incidiſſet, ut jocum joco elideret, Orpheum egi, inquit, quem ludentem lapides & ſaxa ſecuta ſunt.

De Opilione.

K*Ein Schäffer iſt fromb, er habe dann Haar auff der Zungen.* Vult dicere proverbium, niſi cum mortuus fuerit. Paſſim recitant ſive fabulam ſive hiſtoriam, Opilionem quendam à nobili

bili raptum esse ad supplicia propter scelera & furta commissa. Cum autem jam agendus esset in crucem interrogatus à nobili, an sciret alium opilionem probum & fidelem, quem præficeret rei pecuariæ negavit, se quenquam scire, sed esse omnes ejusdem farinæ, imò alios aliquando nequiores: hoc responso motum ferunt nobilem, ut incolumitate concessâ, eum retineret, cum meliorem invenire non posset. *Hic opilio alios suos pede mensus est.*

Origo nocturnorum Ecclesiasticorum, à Lapide.

TRes nocturni respondent quatuor vigiliis noctis. Et viri pij, noctu initio vigiliarum excitati olim surgebant ad laudandum Deum, & canendos hymnos.

Oculi sunt ultimum vivens & primum moriens à Lapide.

COr vocatur à Medicis primum vivens & ultimum moriens; sicut

ex adverſo oculi ſunt ultimum vivens & primum moriens, quia longiſſime à corde quod eſt principium vitæ diſtant.

O O documentum Philoſophi. P. Engelgraft.

PHiloſophus ex antiquis unus rogatus in extremis ut documentum aliquod præclarum relinqueret, cum loqui non poſſet amplius, calamo arrepto expreſſit duos circulos. Varij à morte ejus ſuper his characteribus altercabantur, alius ajebat quod mors ſit omnium ObliviO, aliud alius, demum rem acu tetigit dicens per duo O O ſignificatum, quod corpus jam ſuum curſum, & circulum confecerit, & ex cinere in cinerem redeat, anima autem in cælum, unde originem habet, circulum auſpicetur, quem nunquam conficiet.

Occulta ſecreta.

NOn omni ſocio cordis ſecreta revela.

Secretum quodcunque tibi committitur uni,

Cela-

Celato semper, licet irascaris in illum.

Oratio inutilis.

DUm cor non *orat*, nequicquam lingua *laborat.*

Ordo cibos componendi.

DA rogo semper eoque loco mihi principe, quidquid
Nostra culina boni
Continet: inverso qui ponunt ordine mensas
Nil rationis habent.
Judice me: Famulis etenim meliora remittunt
Fercula, cum stomachus
Jam fatuis satur est betis: volo da mihi primo
Optima quæque loco.

Orbe circulari cur decorāt Ethnici suorum Deorum, & Christiani sanctorum capita P. Kircher.

REspondet P. *Athanasius Kircher, in Columm. Pamphil. fol. 282.* quia

utrobique per rotunditatem cæleſtia volunt deſignare, figura enim rotunda principio & fine caret. Hinc & tali figura Gentiles & templa exſtruxerunt.

Pecunia rapit omnes.

TUrpem non nemo ſed per quam opulentam duxerat uxorem, irriſus quandoque quod hoc feciſſet, reſpondit non *oculos* ſed *loculos* aſpexi.

Alius.

HIc cùm uxorem ſuam indiès verberibus exciperet, & à diverſis monitus eſſet, ut ab illo agendi modo abſtineret; reſpondit, mea uxor eſt nimis ſenſitiva, vix enim illam tango, & ſtatim ac ſi culter cordi ejus infixus eſſet, clamare incipit, tantum enim roſario eam leviter percuſſi. Objurgata ergo eſt, cur tam delicatula eſſet? ſed reſpondit. *Das danck ihm der Teuffel er bett den Roſenkrantz an ſeinen Fingern.*

Pin-

Pinguis Dominus, Equus macer.

NObilis quidam, pingui & obeſo corpore, equo inſidebat macilento, cumque interrogaretur, qua de cauſa tam eſſet obeſus, equus verò præ macie vix progredi poſſet; reſpondit: Ego mei meæque cutis curam habeo, famulus autem equi.

Patibulo affigendus,

WOrmatiæ ſuſpendendus educebatur, cumque jam propè ſcalæ aſcendendæ eſſent, dicebat ad lictorem: *Mein ſchneidet mir geſchvvind die Ohren vnd Naſen ab, vnd laſſet mich darnach lauffen: iſt das nicht ein ehrliches Erbiethen?*

Padagrici cur loquaces.

QUidam rogatus cur Podagrici plerumque tam eſſent loquaces, Ideo inquit, quia *pedes in lingua habent.*

Prognoſtica Narbonenſium. Caput. I.

DE ANNI QVALITATE.

AUreus numerus hoc anno parvus erit, & modicus apud pauperes.

MUltæ futuræ ſunt tenebræ media nocte præſertim tempeſtuoſâ.

SAcrificare & ſanguinem minuere bonum eſt & utile quoties hominem ad hoc neceſſitas impulerit, vitanda tamen maxime ſanguinis effuſio, quæ fit à ruſticis circa feſta bacchanalia dum ſuillis farciminibus repleti ſunt.

IN Martio aliisque temporibus utilia ſcabioſis balnea & unguenta, fricatio quoque non erit ingrata.

IN Julio vina ex frigidioribus cellis allata ſitientibus jucundiſſima. In Decembri autem tunicæ pellibus ſubductæ ſtomacho totique corpori ſunt optimæ.

MErcatores omnibus menſibus niſi auri argentique virtute ſatis muni-

muniti fuerint, in alienas terras navigare diligenter caveant.

Caput 2, De valetudine.

PRincipes præſenti anno caveant à gravibus morbis, etiam dum ſani erunt, quod ſi minus fecerint, timendum eſt, ne eorum ingraveſcente morbo, quidam moriantur.

Caput 3. De Abbatibus.

ABbates magnam habebunt nobilium familiaritatem, ac etiam opem in evacuandis vaſis vinarijs, exiguum autem contra adverſarios præſidium.

Caput 4. De Morbis vulgi.

PLebs ſi multum auſteri lactis, pruna, & ſimilia comederit, ventri profluvio expoſita eſt, timendumque ſi aquam biberit, ne venter intumeſcat, graveque inde periculum oriatur, præſertim ſi indoctum medicum ſuſceperit.

Caput. 5. De frugibus.

TRiticum, ſiligo, avena, hordeum, quodque ariſtam habet in rupibus

&

& ſaxis tenuiter, creſcet, in ſtercoratis autem & bene cultis agris omnis generis frumenta (ſi Deus gratiam ſuam non denegarit) copioſe creſcent. Non tamen pari vendentur pretio, ſed nunc pluris, nunc minoris; ita etiam cæteræ res in fortunæ rota modo aſcendent modo deſcendent.

Caput. 6. De vino & cerevisia.

NIhil aut parum vini hoc anno colligetur in Sylva Hercinia, in aliis verò pluribus locis copiam vini dabunt vites & quidem ſuaviſſimi graviſſimiq; ſaporis. Vinum magnas diſcordias ſeditionesque excitabit, multos de ſedibus, ſcamnis & ſcalis præcipitabit: magnum denique calorem ſed crumenas vacuas cauſabit. Cereviſia autem bene cocta & pinguis, optima erit, niſi nimium aquæ infuſum fuerit.

Caput. 7. De pomis.

CEraſorum, eſculorum, pomorum, hujusque generis fructuum grandis erit copia hoc anno in ſuperiore foro Conſtantiæ & Auguſtæ cui nomen

Ber-

Berboch, quibus assumptis alia nocte crescent quam plurima. Ex horum fructuum esu calculosi evadent, & supra & infra calculos dejicient.

Caput. 8. De metallis.

CArius erit hoc anno argentum stanno, & aurum plumbo, ferri autem multitudine utentur laminarij & cultellifabri in conficiendis galeis, thoracibus, gladiisque & aliis armis. Cuprum quoque pretiosum futurum est hoc anno, eius enim usus frequens est in cudendis monetis.

Caput. 9. De militibus.

MIlites tam pedites quam equites hastarum ludo exercitationem quærent. In venatione faventem habebunt fortunam, plerique eorum multos cuculos quærent & capient, vitamque ita instituent suam, ne caupo ullus eorum debitor inaneat.

Caput. 10. De Magistris artium & discipulis.

JUcundam illi hoc anno vitã ducent, propter vini autem copiam multi eorum

rum

rum magnam pecuniæ penuriam patientur, ita tamen vivent, ut creditores magis pro ſolutione ſolliciti ſint & anxij. Secure apud eos ſcientiam poſſes, deponere, nemo enim apud illos eam quæret, nec ipſi curiosè quid ſcientiæ apud ſe depoſitum ſit, inveſtigabunt.

Caput, 11. De plebe.

CAlcearii, ſartores, pelliones, opificesque reliqui multi mentientur, & hoc lucri causâ. Nulli autem tam ſtolidi erunt, quin præ damno lucrum eligant. Pecuniæ penuria multas hoc anno emptiones impediet.

Caput 12. De civitatibus.

NOrimbergenſes inæquales habebunt emptiones, centuſſis enim cæræ pluris quam porcinæ vendetur. Auguſtani & Ulmenſes magnam habebunt familiaritatem. Conſtantia multas habebit affectiones propter murium gliriumque multitudinem. Tubingæ modica pecunia cito conſumetur: ubique melius divites quam pauperes habebunt.

Caput 13. De populi ſedionibus.

POſt Calendas Februarij magna futura eſt populi ſeditio, tunc ſtultorum infinitus erit numerus. Proximâ dein poſt Paraſceven die in Aprili ingens erit ſanguinis & cruoris effuſio, capelli & hædi quamplurimi mortui in ſanguine jacebunt.

Caput. 14. De inimicitÿs.

INgentes erunt inimicitiæ inter Laicos & Clericos, inter Theologos & Poëtas, inter probos & improbos, qui omnes inter ſe tunc conciliabuntur, cum quis balneatorem invenerit, qui nunquam ſudaverit, Mangonem qui nunquam mentitus fuit, vel cum quis duos montes propinquos ſine valle oſtenderit, tum demum profectò inter dictos firma erit amicitia.

Prandiũ quale, cœna talis.

PRodigum videns Diogenes edentem olera, *ſi ſic*, ait *pranſus eſſes, non taliter cœnares.*

Pur-

Purgatio loculorum.

QUidam taxillos luſorios non inte-leganter comparat pillulis Medicis, nam quemadmodum per has purgatur ſtomachus & inteſtina, ita per has evacuantur loculi & ciſtæ etiam pleniſſimæ.

Pecunia fide potior.

SImon Cronach Mercator Florentinus loco ſigni quo officinæ ædesque dignoſci ſolent, ignem & in eo libros ardentes depingi juſſerat, idque eo conſilio, ut ſi quis emptor adveniſſet ſine parata pecuniâ, mox ei reſpondere poſſet, libros in quos debita referret, igne eſſe combuſtos, uti pictura oſtendit, atque ita nil niſi parata pecunia vendi poſſe.

Paupertas quomodo fugienda.

QUatuor ſunt quibus evitatis facile paupertatem effugies: Familiaritas puellarum: frequentia conviviæ, uſus

uſus alearum, & ante omnia otium: *Dij enim laboribus omnia vendunt.*

Poëtæ famelici.

CUm in convivio Poëtarum facta mentio eſſet, & quidam varia illorum genera, ut Epici, Elegiaci, Lyrici recenſuiſſet, *Stephanus Ferarius* miror, inquit omnium frequentiſſimos à te omitti, rogante altero, quinam illi eſſent, *famelicos*, inquit, quos hodie quam plurimos dari nemo non videt.

De Podagra.

QUidam nobili genere natus, cum annis pluribus podagræ doloribus cruciaretur, non procul à loco ſupplicii in furem jamjam agendum in patibulum incidit, hunc conſpicatus eſſe juvenem robuſto vegetoq; adhuc corpore, ita exclamavit: O adoleſcens optarem tuos nunc mihi pedes! Hoc audito Juvenis reſpondit; Ego verò contra, generoſe Domine, tuum mihi collum optarem dari, quo quidem voto ſi po-

ſi potiri conceſſum mihi eſſet, patibulum aut laqueum minimè formidarem.

Pontificum nullus 25. annis vixit in Pontificatu ſuo; cur à Lapide in Ezech.

EXperientia probat id hactenus factum. Acceſsêre quidam ſat propè, S. Leo 1. qui 21. annis. S. Sylveſter totidem, & omnium proximè Adrianus 1. qui anno Domini 772. creatus Papa, ſedit ipſos annos 24. exceptis 43. diebus, ſed nec ipſe, ſed nec alius præcisè attigit 25. annum, Ideo Papæ dum inauguratur, acclamatur *Beatiſsime Pater annos Petri non videbis.* Idque divinæ providentiæ placet, tùm ob honorem S. Petri, qui primus Pontificatum Romæ conſtituit, ſeditque annos 25. ut ipſe ſicut dignitate & meritis, ità & annis poſteros ſuos ſuperet, ſive ut hic iis ſit ſtimulus ad multa præclara opera, dum cogitant ſe brevi morituros. Addit Lorinus. id fieri ut minus homines ambiant Papatus culmen, quod ſciunt non diu duraturum. *Pon-*

Pontifex Romanus cur sanctissimus vocatur à Lapide *in Danielem.*

RESpondeo tum quia repræsentat Christum, qui est sanctus sanctorum, tum quia hoc titulo admonetur, qualis esse debeat, qui est pastor tot millionum animarum.

Pontificum primus qui nomen suum mutarit. à Lapide *in Danielem.*

IS fuit *Sergius* 2. eo quod prius eius nomen indecorum esset, vocareturque *os porci. Ita Platina*; sed verius censet *Baronius* Pontificem primum qui nomen mutavit fuisse, *Sergium tertium.* qui prius Petrus dicebatur, idque ob reverentiam primi Pontificis *S. Petri*, unde post eum nullus Pontifex vocatus est Petrus.

Poloni equites cur animalis exuvias in castris in tergo gerant. à Lapide in *Daniel*,

Polo-

POloni equites non tantum pennas Struthionum in galeis, ſed & ſinguli in tergis integras exuvias Leopardi, lupi aut Leonis geſtant: inſuper alas aquilarum in ephippijs utrimque, tum ut ſint formidabiles hoſtibus, tum quia alæ hæ, utpotè ingentes juvant celeritatem equorum in curſu. *Id accepi Romæ à Patribus Soc. Polonis, ait Corn. à Lapide in Ezech.*

Placentæ mellitæ cur olim in epulo nuptiali ſponſæ & convivis darentur. à Lapide in Ezech.

UT ſuavis & blandas fore nuptias ſignificarent.

Pergamenæ pelles unde habent nomen. à Lapide.

ANtiqui in corticibus arborum contortis, ut ſunt ſcribere cœperunt, deinde in membranis, hædinisvè chartis, quas pergamenas vocant, credentes Pergami urbem Trojadis primũ inven-

inventam ab *Attalo Rege*, qui cum *Eumene* sibi successore celebrem illam Bibliothecam exemplaribus undiq; conquisitis hædinis chartis construxisse dicitur.

Pudibundi cur frontem perfricent manu. à Lapide

QUia frons sedes est pudoris: hinc non habere frontem dicitur, qui non habet pudorem. Item frontem perfricuit, id est, caret pudore. *Plutarchus scribit*, hunc gestum familiarem fuisse Cicerone, ut dicturus læva faciem demulceret, & fatetur ipse Cicero initio dicendi se timidiorem & verecundiorum fuisse.

Psalmi Graduales 15. unde diciti. à Lapide.

REspondeo quia olim in templo Salomonis erant 25. gradus ab atrio Gentium, usque ad sanctum, sed usque ad atrium sacerdotum erant 25. in quibus decantabant 15. Psalmos graduum, ut tradunt *Habrei S. Hieronymus.* & alij

De

De Potatoribus.

AD primum *morſum* ſi non potavero, *mors ſum*,
Gaudia ſunt *nobis* maxima dum bibo *bis*
Ad ternum *potum* lætus ſum, dum bibo *totum.*
Lætificat quartus cor, caput atque latus.
In quinto *potu* vaſto potamus hiatu,
Dulcis & ipſe *cibus* dum bibo ſex *vicibus.*
Potu *Septeno* lætus ſum corpore *pleno.*
O nos *felices* octo bibendo *vices*!
Nunc Cherubinum pingit potatio naſum.
Si decies *bibero*, cornua fronte *gero.*
Undecimo propino, tibi dulciſſime amice,
Et poſt bis *decies* eſt mihi tota *quies.*
Poſtea dico *ſatis* ſed dum potavero *gratis*
Tantillum *digitum*, *Lætus* eo *cubitum.*

Pau-

Potatoriæ legis Epilogus.

OMnibus eſt *notum* quod ſummè diligo *potum*
Si poſſē *vellem* pro potu ponere *pellem.*

Paupertas jacet.

REgula *burſalis* ſit cuncto tempore *talis*;
Prandia fer *tecum*; ſi vis diſcumbere *mecum.*

De Petro bibace.

QUod nunquam totâ videatur Petrus in urbe,
In templo rarus, rarior inque foro.
An ſtudiis illum credas incumbere: *non non.*
Clauſus muſæo quid facit ergo? *bibit.*

Poloniæ laus.

Clarum regnum Polonorum
Eſt Cœlum Nobiliorum,
Et Infernus Ruſticorum,
Paradiſus Judæorum,
Aurifodina advenarum,
Cauſa luxus fœminarum,

Multis quidem dives lanis,
Semper tamen egens pannis,
Et copiam in lino ſerit,
Sed externam telam quærit,
Merces externas diligit,
Domi paratas negligit,
Caro emptis gloriatur,
Empta parvo aſpernatur.

Poëta quid?

RESpondeo. *Ein Futteral vber einen Gecken.*

Prudenter.

RESpice quæſo benè, non ſunt cereviſia ſpumæ.

Proditio.

TRADITOR } Illudit verbis dum vulnera cudit.
PRODITOR }

Phaleræ poëticæ recreationis cauſa adjunctæ.

P*Ropter opes* acquirendas mala plurima fiunt,
Et bona deficiunt plurima *propter opes.*

Pro-

Propter opes ſe dat mercator mille periclis,
Exponitque mari ſe, ſua, *propter opes.*
Propter opes turpi fit ſponſa puella marito;
Ducit anum Juvenis. Cur ita? *propter opes.*
Propter opes quæcunque prius promiſſa negantur,
Et data dicuntur non data, *propter opes.*
Propter opes quæruntur opes, opulentia creſcit,
Creſcit avarities ſordida, *propter opes.*
Propter opes ſpes ſæpè ruit; vota irrita fiunt,
Summaque ad ima ruunt, omnia *propter opes.*
Propter opes lites injuſtæ, injuſtaque dantur,
Judicia injuſto à Judice *propter opes.*
Propter opes dîctumque domus inopúque pererrant,
Et capiunt fures omnia, *propter opes.*

Propter opes paſſim ſunt prælia, bella, rapinæ
Pacis & injuſtæ fædera, *propter opes.*
Propter opes quid non patitur miſerabile mundus!
Proditur arx, urbes, regnaque *propter opes.*
Propter opes nunquid Chriſtum vendebat Judas?
Et crepuit pendens arbore *propter opes.*
Propter opes homines animam cum corpore perdunt,
Sic perduntur opes, cunctaque *preter opes.*

Podagra unde?

UNde rogas hominum generi ſit nata podagra?
Et Bacchi & Veneris filia multivolæ eſt.

Pavo.

PEnna quidem varijs me picta coloribus ornat;
Sed doleo turpes laude carere pedes.

Sin-

Sincerum nihil est & ab omni labere-
motum;
Est vitiis virtus, *sunt mala mixta bo-
nis.*

Paßer.

QUo feror in dulcem Venerem la-
scivior æquo,
Mî brevior vitæ terminus inde venit;
Disce meo fato longum qui vivere quę-
ris,
In Veneris justum rebus habere mo-
dum.

Patientia.

OMnes humanos vincit *Patientia*
casus
Hanc adhibe, & cunctis est medici-
na malis.

Pyramides Ægyptiacæ quid significent. Harsdörff. in deliciis math.

HÆ subsistunt in æquali quadran-
gulo fundamento, & significan-
tur 4. elementa, per apicem autem ani-

Purgatio loculorum.

QUidam taxillos luſorios non ineleganter comparat pillulis Medicis, nam quemadmodum per has purgatur ſtomachus & inteſtina, ita per has evacuantur loculi & ciſtæ etiam pleniſſimæ.

Pecunia fide potior.

SImon Cronach Mercator Florentinus loco ſigni quo officinæ ædesque dignoſci ſolent, ignem & in eo libros ardentes depingi juſſerat, idque eo conſilio, ut ſi quis emptor adveniſſet ſine parata pecuniâ, mox ei reſpondere poſſet, libros in quos debita referret, igne eſſe combuſtos, uti pictura oſtendit, atque ita nil niſi parata pecunia vendi poſſe.

Paupertas quomodo fugienda.

QUatuor ſunt quibus evitatis facile paupertatem effugies: Familiaritas puellarum: frequentia conviviæ, uſus

usus alearum, & ante omnia otium: *Dij enim laboribus omnia vendunt.*

Poëtæ famelici.

CUm in convivio Poëtarum facta mentio esset, & quidam varia illorum genera, ut Epici, Elegiaci, Lyrici recensuisset, *Stephanus Ferarius* miror, inquit omnium frequentissimos à te omitti, rogante altero, quinam illi essent, *famelicos*, inquit, quos hodie quam plurimos dari nemo non videt.

De Podagra.

QUidam nobili genere natus, cum annis pluribus podagræ doloribus cruciaretur, non procul à loco supplicii in furem jamjam agendum in patibulum incidit, hunc conspicatus esse juvenem robusto vegetoq; adhuc corpore, ita exclamavit: O adolescens optarem tuos nunc mihi pedes! Hoc audito Juvenis respondit; Ego verò contra, generose Domine, tuum mihi collum optarem dari, quo quidem voto sipo-

ſi potiri conceſſum mihi eſſet, patibulum aut laqueum minimè formidarem.

Pontificum nullus 25. annis vixit in Pontificatu ſuo; cur à Lapide in Ezech.

EXperientia probat id hactenus factum. Acceſsêre quidam ſat propè, S. Leo I. qui 21. annis. S. Sylveſter totidem, & omnium proximè Adrianus I. qui anno Domini 772. creatus Papa, ſedit ipſos annos 24. exceptis 43. diebus, ſed nec ipſe, ſed nec alius præciſè attigit 25. annum, Ideo Papæ dum inauguratur, acclamatur *Beatiſsime Pater annos Petri non videbis*. Idque divinæ providentiæ placet, tùm ob honorem S. Petri, qui primus Pontificatum Romæ conſtituit, ſeditque annos 25. ut ipſe ſicut dignitate & meritis,ità & annis poſteros ſuos ſuperet, ſive ut hic iis ſit ſtimulus ad multa præclara opera, dum cogitant ſe brevi morituros. Addit Lorinus. id fieri ut minus homines ambiant Papatus culmen, quod ſciunt non diu duraturum. *Pon-*

Pontifex Romanus cur sanctissimus vocatur à Lapide *in Danielem.*

RESpondeo tum quia repræsentat Christum, qui est sanctus sanctorum, tum quia hoc titulo admonetur, qualis esse debeat, qui est pastor tot millionum animarum.

Pontificum primus qui nomen suum mutarit. à Lapide *in Danielem.*

IS fuit *Sergius* 2. eo quod prius eius nomen indecorum esset, vocareturque *os porci. Ita Platina*; sed verius censet *Baronius* Pontificem primum qui nomen mutavit fuisse, *Sergium tertium.* qui prius Petrus dicebatur, idque ob reverentiam primi Pontificis *S. Petri*, unde post eum nullus Pontifex vocatus est Petrus.

Poloni equites cur animalis exuvias in castris in tergo gerant. à Lapide in *Daniel*,

Polo-

POloni equites non tantum pennas Struthionum in galeis, ſed & ſinguli in tergis integras exuvias Leopardi, lupi aut Leonis geſtant: inſuper alas aquilarum in ephippijs ùtrimque, tum ut ſint formidabiles hoſtibus, tum quia alæ hæ, utpotè ingentes jùvànt celeritatem equorum in curſu. *Id accepi Romæ à Patribus Soc. Polonis, ait Corn. à Lapide in Ezech.*

Placentæ mellitæ cur olim in epulo nuptiali ſponſæ & convivis darentur. à Lapide in Ezech.

UT ſuavis & blandas fore nuptias ſignificarent.

Pergamenæ pelles unde habent nomen. à Lapide.

ANtiqui in corticibus arborum contortis, ut ſunt ſcribere cœperunt, deinde in membranis, hædinisvè chartis, quas pergamenas vocant, credentes Pergami urbem Trojadis primũ inven-

inventam ab *Attalo Rege*, qui cum *Eumene* ſibi ſucceſſore celebrem illam Bibliothecam exemplaribus undiq; conquiſitis hædinis chartis conſtruxiſſe dicitur.

Pudibundi cur frontem perfricent manu. à Lapide

QUia frons ſedes eſt pudoris: hinc non habere frontem dicitur, qui non habet pudorem. Item frontem perfricuit, id eſt, caret pudore. *Plutarchus ſcribit,* hunc geſtum familiarem fuiſſe Cicerone, ut dicturus læva faciem demulceret, & fatetur ipſe Cicero initio dicendi ſe timidiorem & verecundiorum fuiſſe.

Pſalmi Graduales 15. unde diciti. à Lapide.

REſpondeo quia olim in templo Salomonis erant 25. gradus ab atrio Gentium, uſque ad ſanctum, ſed uſque ad atrium ſacerdotum erant 25. in quibus decantabant 15. Pſalmos graduum, ut tradunt *Habrei S. Hieronymus.* & alij

De

De Potatoribus.

AD primum *morsum* si non potavero, *mors sum*,
Gaudia sunt *nobis* maxima dum bibo *bis*
Ad ternum *potum* lætus sum, dum bibo *totum*.
Lætificat quartus cor, caput atque latus.
In quinto *potu* vasto potamus hiatu,
Dulcis & ipse *cibus* dum bibo sex *vicibus*.
Potu *Septeno* lætus sum corpore *pleno*.
O nos *felices* octo bibendo *vices*!
Nunc Cherubinum pingit potatio nasum.
Si decies *bibero*, cornua fronte *gero*.
Undecimo propino, tibi dulcissime amice,
Et post bis *decies* est mihi tota *quies*.
Postea dico *satis* sed dum potavero *gratis*
Tantillum *digitum*, *Lætus* eo *cubitum*.

Pau-

Potatoriæ legis Epilogus.

OMnibus eſt *notum* quod ſummè diligo *potum*
Si poſsē *vellem* pro potu ponere *pellem*.

P*aupertas jacet.*

REgula *burſalis* ſit cunctо tempore *talis*;
Prandia fer *tecum*; ſi vis diſcumbere *mecum*.

De Petro bibace.

QUod nunquam totâ videatur Petrus in urbe,
In templo rarus, rarior inque foro.
An ſtudiis illum credas incumbere: *non non.*
Clauſus muſæo quid facit ergo? *bibit.*

Poloniæ laus.

Clarum regnum Polonorum
Eſt Cœlum Nobiliorum,
Et Infernus Ruſticorum,
Paradiſus Judæorum,
Aurifodina advenarum,
Cauſa luxus fœminarum,

Multis quidem dives lanis,
Semper tamen egens pannis,
Et copiam in lino ferit,
Sed externam telam quærit,
Merces externas diligit,
Domi paratas negligit,
Caro emptis gloriatur,
Empta parvo aspernatur.

Poëta quid?

Respondeo. *Ein Futteral vber einen Gecken.*

Prudenter.

Respice quæso benè, non sunt cerevisia spumæ.

Proditio.

TRADITOR } Illudit verbis dum vulnera cudit.
PRODITOR }

Phaleræ poëticæ recreationis causa adjunctæ.

Propter opes acquirendas mala plurima fiunt,
Et bona deficiunt plurima *propter opes.*

Pro-

Propter opes se dat mercator mille periclis,
Exponitque mari se, sua, *propter opes.*
Propter opes turpi fit sponsa puella marito;
Ducit anum Juvenis. Cur ita? *propter opes.*
Propter opes quæcunque prius promissa negantur,
Et data dicuntur non data, *propter opes.*
Propter opes quæruntur opes, opulentia crescit,
Crescit avarities sordida, *propter opes.*
Propter opes spes sæpè ruit; vota irrita fiunt,
Summaque ad ima ruunt, omnia *proter opes.*
Propter opes lites injustæ, injustaque dantur,
Judicia injusto à Judice *propter opes.*
Propter opes dîctumque domus inopûque pererrant,
Et capiunt fures omnia, *propter opes.*

Propter opes passim sunt prælia, bella, rapinæ

Pacis & injustæ fœdera, *propter opes.*

Propter opes quid non patitur miserabile mundus!

Proditur arx, urbes, regnaque *propter opes.*

Propter opes nunquid Christum vendebat Judas?

Et crepuit pendens arbore *propter opes.*

Propter opes homines animam cum corpore perdunt,

Sic perduntur opes, cunctaque *preter opes.*

Podagra unde?

UNde rogas hominum generi sit nata podagra?

Et Bacchi & Veneris filia multivolæ est.

Pavo.

PEnna quidem varijs me picta coloribus ornat;

Sed dolco turpes laude carere pedes.

Sin-

Sincerum nihil est & ab omni labere-
motum;
Est vitiis virtus, *sunt mala mixta bonis.*

Paßer.

QUo feror in dulcem Venerem lascivior æquo,
Mî brevior vitæ terminus inde venit:
Disce meo fato longum qui vivere quęris,
In Veneris justum rebus habere modum.

Patientia.

OMnes humanos vincit *Patientia* casus
Hanc adhibe, & cunctis est medicina malis.

Pyramides Ægyptiacæ quid significent. Harsdörff. in deliciis math.

HÆ subsistunt in æquali quadrangulo fundamento, & significantur 4. elementa, per apicem autem ani-

ma significatur, quæ versus cælum erecta, tanquam ignis in Deum surgere debet. Ægyptii itaque docere voluêre quod etsi temporalia & corruptibilia Regum suorum corpora humi defossa ac sepulta jaceant, anima tamen eorum tanquam ignis in cælum ascenderunt.

Pavo. Harsdörff. in deliciis matthm.

ANgelus in penna, pede latro, voce gehenna.

E*In Pfauvv hat ein Englisch Gevvãd, Diebischen Gang, vnd ein Teufflisches Gesang.*

Quinam homines diligendi à Principibus.

F*Ridericus Imperator* interrogatus, quosnam homines plus cæteris diligeret, eos, inquit, qui Deum magis quam me metuunt.

Quis nasus est optimus.

RESpondeo magnus. Vide catalogum Imperatorum Romanorum qui omnes fuêre nasuti: Numa Secundus Rex Rom. Sesquipedalem habebat nasum, ideoque vocabatur Pompilius, quasi nasus in superlativo gradu. Lycurgus & Solon habebant insignem nasum, si fides danda Plutarcho. In summa omnes Reges Italiæ fuerunt nasuti excepto Tarquinio superbo qui regno pulsus fuit. Quisque ergo suum apprehendat nasum, & videat num Imperator fieri possit. Interea qui majores habent, plerumque cæteris sunt majores ingenio, ut inde dicatur: *Ille habuit nasum*; id est, prudenter prævidit.

Quæstio, pendetnè canis à cauda vel contra.

RESpondeo si canis è cauda suspendatur pendet ab eâ, si ex capite, cauda pendet à cane.

Quomodo scribatur Isaac una littera.

RESpondeo: formando I *super saccum*.

Qui viri probi?

NOn nemo otiosus cum admoneretur, ut quatuor suorum fratrum exemplo etiam laboraret; respondit, illi quatuor nebulones facile virũ probum alere & sustentare possunt: quo inferre volebat, laborare nebulonum esse, viri autem probi in otio degere. Quod si foret ita; magna hodie virorum proborum reperiretur copia.

Quæ prudentem faciant?

UT perfectè quis ea, quæ hujus mundi sunt, sciat & sapiat, tria requiruntur: primo ut aliquando *amaverit*; secundò ut *dimicaverit*, tertio ut in judicio *litigaverit*. Hæc qui expertus fuerit, aut etiamnum experitur, nisi quotidie prudentior evadat, fucus aut truncus sit oportet.

Quid fortißimum sit?

DArij Regis quæstio est, Alij vinum Regem alij, alij mulierem esse dicebant, sed Zorobabel veritatem asseruit & palmam obtinuit.

Quin-

Quinq; plus sunt quam septem?

PAradoxon est apud Arithmeticos, quinque plus esse quam septem. Verum non Arithmetici solum, sed tota insuper Europa hoc quondam vidit. *Carolus* enim *Quintus Cæsar* occupata Roma *Clementem Septimum* Papam devicit: hinc

Septimus à Quinto superatur Cæsare Papa.
Nonne minus septem, quinq; fuisse negas?

Quid intelligitur per hoc apprehendent 7. mulieres virum unum in die illa. Cornel. à Lapide Isaiæ 4.

REspondeo in excidio Jerusalem per Romanos tanta erit virorum cædes, fames, & tabes, ut ob eorum paucitatem 7. id est, multæ mulieres vix unum maritum acquirere possint, adeoque de eo certaturæ sint: ita *S. Hieron. & Cyrill.*

Quid cogitandum de mulieribus, quæ caput velis ornant, vulgo mit Floren. Harsd.

MEminiſſe debent pulchritudinem ſuam in flore conſiſtentem brevi emarceſſere: eſſe hæc capitis vela, ceu telas aranearum, quas à ſepulchris ſuis removere olim non poterunt.

Quis nunquam natus eſt mortuus.

REſpondeo Adam, qui non natus eſt & tamen mortuus.

Quæ aqua pretioſiſſima.

REſpondēt aliqui eſſe illam quæ vino commiſcetur, aliqui ægrorum aquam ad medicos portatam; alij piorum lachrymas quibus cælū enititur, alij baptiſmum eſſe dicunt, quo idem comparatur. *Quem Baptiſmum aquam pretioſiſſimam dico.*

Quâ aquâ maximè nutriuntur homines.

REſpondeo ex molendino profluente, quæ ſitim famemque ſedat.

Quare oves albæ plus comedant quam nigræ.

Respondeo quia plures albæ dantur quam nigræ.

Quot sunt abusus sæculi.

Respondeo duodecim.

1. Sapientes sine bonis operibus.
2. Senex sine religione.
3. Adólescens sine obedientia.
4. Dives sine eleemosynâ.
5. Fœmina sine pudicitia.
6. Dominus sine virtute.
7. Christianus contentiosus.
8. Pauper superbus.
9. Rex iniquus.
10. Episcopus negligens.
11. Plebs sine disciplina.
12. Populus sine lege.

Quot sunt genera Avaritiæ.

Respondeo tria.

Aliena concupiscere.
Propria non dare.
Datorum pœnitere.

Quot ſunt claves ſapiētiæ.

Reſpondeo quinque
1. Contemptus ſæculi.
2. Frequens interrogatio.
3. Aſſiduitas legendi.
4. Honor Magiſtri.
5. Multa rogare, rogata tenere, retenta docere.

Quinque hæc diſcipulum, faciunt ſuperare Magiſtrum.

Quomodo vivendum.

Reſpondeo: Piè: Juſtè: Temperanter.

P*iè*: Vive pius, magnoq; animo contemnere mundum
Immundum, ac ſoli vivere diſce Deo.

Juſtè: Juſtinum ſanctè colito dum vixeris & nil
Fraude doloque malo turpius eſſe puta.

Temperanter: Utque tui curſum peragas feliciter ævi
Et Veneri & Baccho pone gulæq; modum.

Quid

Quid eſt mulier.

EſT animal totum, magna cum fraude ſuperbum.
Quid dicam? rectè, *Laus fraus, mulie-bria ſunto.*

Rufus.

IN ruffa pelle vix eſt animus ſine felle.

Ruſticus Fuldenſis.

FUldæ audiverat ruſticellus Parochum de Paſſione Chriſti concionantem, itaque finita concione totus admirabundus & compaſſione plenus, utpote qui nihil hactenus eâ de re audiverat, Concionatorem adijt ſciſcitans num pridem hoc Chriſto contigiſſet? Reſpondit Parochus ante 1660. annos, & ultra. Tunc ruſticus: *Ey ſo vvollen vvir nit hoffen daſs es vvar ſey, vveil es ſchon ſo lang iſt.*

De Principe & Ruſtico.

Prin-

PRinceps ætate provectus venatum iverat habitu, ut solent, planè venatorio: paulò post incidit in rusticum arantem, eumque mox ad se advocat & inter alia interrogat quid loquerentur & sentirent homines de suo Principe Respondit: *Vnser Herr ist uns gut genug aber seine Fravv ist ein lose Greth.* Rem domi narrans conjugi suæ Princeps indignationem illi movit. Accidit autem ut idem rusticus furti accusaretur, tunc Princeps hanc nactus occasionem, rem totam conjugi commisit judicandam, quæ jubet rusticum ad se duci, & non tam ob furtum quam nuperrimum dictum graviter eum objurgat, Rusticus autem subdit; *Ha ha, hat dass der alte Schelm auch schon schvvezen müssen,* & hoc quoque modo Princeps & ipse suam reportavit laudem.

Regulæ nuptiales.

PRimo *Crumenas* argento sumito *plenas*
Si nihil est *æris*, quid læti fœdera *quæris*?

Si

Si desunt *nervi*, geris & vix munera *servi*,
Convivas *inter*, sed vis tamen esse *libenter*,
Mutuo ut accipias, moneo quæ munera dones
Hæc quando desunt, tibi sic contingere possunt;
Mutua apud *notum* Cramerum, aut fundito *votum*,
Ut donec *reddat* tibi nuntius, omnia *credat.*
Sumas *exemplum*, si vis accedere *templum*,
Fac, alij ut faciant, sacris qui ritibus adsunt.
Sed te nemo jubet, nisi sponte accedere lubet,
Si modo sis præsto, dum mensæ apponitur esca,
Est honor è patinis si tu lautissima sumis
Nec minus absumas, quam quod pro munere donas,
Solve tamen ligulas, ut plus infundere possis,

Et

Et lacerare bonas coram ne desine bossas
Te possunt *tales*, acceptum reddere *sales*
Præcipies sannas & erit vix Domine Ioannes.

HÆc scripsit miser Poeta,
Cui semper deest moneta,
Est valde bonus socius,
Edit & bibit ocyus,
Non curat furis valorem,
Emit panem apud pistorem,
Non est enim affabilis,
Nec forma delectabilis,
Non habet ergo gratiam,
Sed semper stat post januam,
Sed hæc non nocet admodum,
Nec enim affert commodum,
Non est bonum aucupium,
Purgat enim marsupium,
Et studijs est noxium,
Perditioque Juvenum omnium.

Responsum Æsopi.

PRæfectus urbis cujusdam Æsopum, eo quod exploratoris speciem præsefer-

ſeferret, interrogavit, quo iret? reſpondit Æſopus Clariſſime Domine, ego ipſe ignoro, Præfectus irriſum ſe ratus hominem carceri mancipari jubet, tum Æſopus ad Præfectum converſus ait, nonnè verè dixi, ignorare me, quò irem? nam de carcere nihil mihi in mentem venerat. Præfectus hominis ingenio delectatus eum impunè dimiſit.

Romæ nominis litteræ quid ſymbolicè ſignificent?

Corn. à Lapide.

R*Adix Omnium Malorum Avaritia*, ſic de Ethica Roma per Anchroſtichen loquitur *Alexander Angelus Doct. Theol.*

Religioſus.

PEr triplex *votum* Chriſto me conſecro *totum*,
Non poſſum eſſe *Dei*, ſi quid habebo *mei*.

Riſum moventia.

Ar-

ARmatus Clericus, mulusque in honore locatus.
Cæcus habens visum, tua dicta movent mihi risum.

Suevus emens jecur.

SUevorum de gente simplicianus aliquis ad macellum forte adierat, delicias sibi in prandium exempturus, lustraverat jam varia non parum palato simplici placitura, cum ecce vituli alicujus an bovis jecur in oculos incurrit; in hoc non aliter atque Marcolphi felis conspecto mure, avidissimis manibus repente involat, licitatur, emit, cumq; ejus coquendi modum ignoraret, interrogat & audit. Ad memoriæ tantum non credit, plus cerebelli in thorace suo quam capite ratus, arreptâ cretâ brachialibus totam artem committit, exacturus commissa cum tempus reposceret. Jamque domum redierat, focum accenderat, paraverat vasa: cum felis tacitè adrepens jecur surripit & abit.

Mirari

Mirari ille primum audaciam interpellare etiam & ablata repetere, at mox solatium sibi legens à manicis. *Quaso*, inquit, *tu catte, quid tandem hoc jecore facies, cum ejus coquendi modum omnem ignores?* licet, *delicias certè in crudo jecore nullas invenies.* Sed cattus quasi gratias dominicæ liberalitati acturus inclinat reverenter caput, & aspectante suevo jecur omne absumit.

Suevus alius.

VEhebatur Suevus Dinkelspülensis aperto curru Monachium pluvioso tempore aspexit cœlum, tandem spe sua frustratus clamat: *O Fuhrman halt stilles regnet mir ins Maul.* Cui Auriga: *Narr thue es zu.*

Alius.

SUevus quidam ex eadem Urbe cum curru veheretur, subsistit auriga inquiens: *Ich kan nicht fort, ich muss die Pferdt zuvor lassen beschlagen.* Misso ergo famulo cum equis ad fabrum, Suevus

vus ait, *Fahret ihr nur fort, die Gäul werden schon nachkommen.*

Suevus Nuncius.

NUncius hic Augusta Vindelicorũ Dilingam in Patriam suam reversus patriotis suis ita imposuit: ante paucos dies, inquiebat Augustæ aliquis combustus fuit, quod nivem retro fornacem arefecisset. Credidítque Suevica Dinckelspülanorum simplicitas! miseri statum lugens.

Suevus molam empturus.

COnspexerat Suevus in Austria molendinum admodum pulchrũ, cujus desiderio in Patriam regressus, concivibus suis narrat, se mirabile quoddam, lepidum & novum vidisse instrumentum, quod si Suevia comparare posset, omni parte beata foret, cumque omnes fere suevi miraculum naturæ (sic enim nominabant molendinum) comparatum egressi fuissent, nunciator hujus nec locum invenire nec instrumentum nominare poterat, sicque cum Sociis

ciis re inconfectâ in patriam redire coactus fuit. Ideo tam rara hodiedum in Sueviâ molendina reperiuntur.

Suevi puteum purgantes.

COnvenit in quodam Sueviæ oppido totus ferè senatus deliberans, quo pacto fons, in quem canis inciderat purgandus esset: Seniores, utpote pars sanior, ita demum concluserunt, ut cùm non haberent catenam (potuissent saltem funem à Carnifice accipere mutuum) alius ab alio dependeret, à fontis ore ad usque fundum. factum est ita. Sed ecce cum ridicula hæc Suevorum pendet catena, summus ille labrum putei tenens lassatus clamare incipit: *Haltet jhr Herren, es vvird mir Zuschvver, ich muss einmahl in die Händ spützen.* Quod dum facit cum omnibus à se dependentibus in fontem delabitur.

Sueva graviter ægrota.

HÆc Medicum nunquam experta cum ægrotare graviter cæpisset, medici auxilium implorat, qui venam per-

pertentans, & errabundum inveniens pulsum medicamenta præscripsit. Hoc viso Sueva ad suos conversa, hic, Medicus, inquit, delirat, ego enim ex latere doleo, & ille brachium explorat.

Sabbathum Judæi lepidũ.

JUdæus Anglus potui valdè deditus Salomon, inchoante Sabbatho suo domum redibat ebrius, incidebatque in cloacam fœdam & profundam, cum verò religione Sabbathi oblatum à Christianis vicinis opem respueret, in molli hac culcitra totâ nocte relictus est; postero die opem implorat, quam ipsi quoque Christiani vicini negarunt in suo Sabatho: unde hi versus:

Iudæus.

SAbbatha nostra *colo*, de stercore surgere nolo.

Christ.

SAbbatha nostra *quidem*, Salomon celebrabis *ibidem*.

Stultos fuge.

Vene-

VEnetiis ad Nobiles quosdam deambulantes mendicus, accessit stipem rogans, addita promissione insignis cujusdam doctrinæ, quam ipsis communicare vellet. Acceptis itaque aliquot nummis, singulis filum quatuor ulnas longum reddit, suadens, ut quemcunque stultum ad se propius quàm hoc filum esset, accedere non patiantur.

Studiosi incuria.

LEgens quidam Studiosus valdè jam barbatus noctù physicam gnomonicam reperit longam barbam hominis arguere fatuitatem, arrepto itaque speculo, admotâque candelâ barbam suam contemplari cæpit, quod cum egerit curiosius quam cautius, admoto lumine barbæ partem non parvam combussit; ad quod subridens, improvidus, scripsit in margine, *probatum est.*

Seria omnium regionum M. I. Pileatoris descripto lepida.

SAlutes vobis plures
Quam sunt in Polonia fures,

In Bohæmia Hæretici,
In terra Swicensium Rustici,
In Italia Scorpiones,
In Hispania Leones,
In Hungaria pediculi,
In Parisia articuli,
In Saxonia potatores,
Venetiis Mercatores,
In Romania cortisani,
In Alemannia Capellani,
In Frisia Caballi,
In Francia Vasalli,
Pisces in Marchia,
Sues in Pomerania,
Oves in terra Angliæ,
Boves in Regno Daniæ,
Cæpifices Bambergæ,
Artifices Norimbergæ,
Pragæ Judæi,
Coloniæ Zachæi,
Clerici Herbipoli,
Naves Neapoli,
Buscoducis artifices,
Francofurti pellifices,

Ne-

Nobiles in Franconia,
Nautæ in Hollandia,
Textores Auguſtæ,
Per æſtatem locuſtæ,
Columbæ in Wetteraviâ,
Caules in Bavariâ,
Haleces in Flandriâ,
Sacci in Thuringiâ.

Satrapa vox unde?

SAtrapa Perſica vox eſt, quæ latinè Præfectum ſignificat ſicut Satrapia Præfecturam. Quare ridiculum eſt illatino illi ſæculo condonandum, quod ait *Lyranus*; Satrapa dicitur, *quod ſat rapiat*, Præfecti enim avari ſolent eſſe rapaces.

Sepultura Aſini ſepeliri, quidnam? A Lapide in Ierem.

REſpondeo eſt projici in ſterquilinium aut agrum, ſicut aſini cadaver.

Saccus triplex necessarius in forolitigantibus.

1. SAccus cartharum. 2. Pecuniæ. 3. Patientiæ.

Sartorum famuli quales?

SArtorum famuli sunt omni tempore tardi,
Dum comedunt sudant, frigeſcunt quando laborant.

Suæ quisque ſortis Faber.

SOrs te non fugiet: modò tu non deſere ſortem,
Eſt propriæ ſortis quilibet ipſe faber.

Seria totius Italiæ Deſcriptio.

SAncta es Sanctorum pretioſo ſanguine *Roma*,
Cingitur *Vrbs Venetum* pelago, ditiſſima nummis,

Inclyta

Inclyta *Parthenope*, gignit Comitesque Ducesque
Eſt *Mediolanum* jucundum, nobile, magnum.
Excellit ſtudijs jucunda *Bononia* cunctis.
Sena tenet portum mercesque domosque ſuperbas.
Exhaurit loculos *Ferraria* ferrea plenos.
Verona humana dat ſingula commoda vitæ.
Extollit *Paduam* Juris ſtudium & Medicinæ.
Illuſtrat *Senas* patriæ facundia linguæ.
Maxima pars hominum miſeram canit eſſe *Cremonam*.
Mantua gaudet equis, ortu decorata Maronis.
Vina *Vzini* varias generoſa vehuntur ad urbes.
Brixia dives opum, parcè ſuccurrit egenis.
Ittalicos verſus præfert *Papia* Latinis.
Libera *Luca* tremit Ducibus vicina duobus,

Flent *Pisæ* amiſſum dum contemplantur honorem.

Commendant *Parmam*, lac, caſeus, atque butyrum.

Non caret hoſpitijs perpulchra *Placentia* charis.

Taurinum exornant virtus, pietasque fidesque.

Militibus validis ſtudioſa *Perusia* claret

Emporiæ in portis conſiſtit gloria clauſis.

Mordicus Vrbs *Mutinæ* ranas tenet eſſe ſalubres.

Contemnunt omnes *Anconæ* mœnia Turcas.

Litibus imponit finem *Macerata* Picenis,

Urbs *Livij* celebris nimis eſt proclivis ad arma.

Pergamum ab incultâ dictum eſt ignobile, linguâ

Vercellæ lucro non delectatur iniquo.

Spernit mundanas ſincera *Novariæ* fraudes.

Per multos comites *Vincentia* nutrit e genos. Omni

Omnibus exponit gladios *Aretium* acutos.

Dulcia felicem cingunt vineta *Cesenam.*

Civibus humanis decorata est *Asta* fidelis.

Fructibus, anseribus, pomis *Arimenia* abundat.

Omnes commendant ficos grossosque *Pisauri.*

Castaneis, oleo, tritico *Pistorium* abundat.

Rustica frugales nutrit *Dertona* colonas.

Postponit *Rhegium* cornuta animalia porcis

Tarvisium exhilarant nitido cum flumine fontes.

Sancta patent cunctis peregrinis claustra *Viterbi.*

Imola divisa est, nocet hæc divisio multis

Ver binũ statuit Ducibus clamare valete

Nota est fictilibus figlina *Faventia* vasis

Laus *Pompeja* boves pingues producit ovesque.

Spoletum clamat peregrini intrate, manete.
Nariä promittens epulas, dabit uva vetusta.
Concilium illustrat sanctam generale *Tridentum.*
Assisium sancti Francisci corpore gaudet.
Fanum virginibus fertur florere venustis.
Hospitibus *Comum* pisces cum carnibus offert.
Divitias studijs quærit *Savona* relictis.

Sus.

NIl reparet numerosa genus fœtura suillum,
Restaurent nostri semina aulla gregis.
Quæ sine carne suum convivia lauta parantur?
Aut quæ non nostro villa cruore madet.

Servi-

Servitium sine mercede.

FOemineo generi, pueris, senibusque caveto.
Servire, hinc etenim præmia nulla feres.
Fata senem rapiunt: omnes mutatur in horas,
Fœmina: sed puer est immemor officij.

Teutonis mandatum lepidum.

TEuto natione Surlandus, avaritiæ plus ultro deditus, ad exhaurienda cujusdam opulenti jactabundi bona, sub gravi pœna mandatum edidit, ut asinum litteras edoceret, ille impossibile esse ait, nisi multum temporis in erudiendo asino sibi concedatur. Petere quantum vellet jussus decennium impetravit. Derisus ab omnibus tanquam rem impossibilem suscepisset, solatus amicos, inquit, nil timeo, nam interim vel ego moriar, vel asinus, vel Dominus.

Taurus Prætoris.

PRætoris Taurus pauperculi cujusdam rustici in pascuis insiliens vaccæ, eam suppressit & occidit; hac de re rusticus Prætorem conveniens, inquit, taurus meus vaccam tuam cornibus impetijt & occidit: Quid ait Prætor? quid aliud quam ut vaccæ damnum tauri mihi homine præstes, vel taurum si mavis noxæ dedas? imo inquit rusticus, ignosces mihi, lingua lapsus præposterè caussam protuli, nam tuus taurus vaccam meam interfecit. Tum Prætor, alia inquit res est, & rusticum inanem dimisit.

Tribus modis Sapientes agnoscuntur.

A Majoribus nostris veri Sapientes dicebantur, quos cupiditas incesserat navigandi, nec navigarent, rempublicam administrandi, nec administrarent, uxorem ducendi nec ducerent.

Tarentinum Conjugium.

me-

TArentini in more habebant ut nupturi Sponſus & Sponſa menſæ accumberent, & conjunctis manibus comederent, quod ſi per incuriam quis eorum propria manu cibum ingereret, nec firmum erat nec ratum conjugium.

Tyranni bellaria Martis.

TYrannus nomine Soliman in arborum ramis pomorum loco appendebat occiſorum capita in veſtibulo autem horti ſcripſit: *Bellaria Martis.*

Turcarum Imperator.

TYrannus nomine Sultan ex oſſibus ſibi organa fieri curavit: *Saltus Regum* inquiens: *ſtratorum hoſtium mors eſt.*

Thraces natos plorant.

IN Thracia Cauſani & Gothæ puerperia luxerunt, viciſſim funera plauſu exceperunt.

Templum Honoris.

ALexander ab Alexandro templũ honoris, ſenes templum virtutis

apud Romanos ædificârunt, nec licebat ulli templum intrare, quin prius templum virtutis intrasset.

Timonis prudens responsum.

TImon Philosophus interrogatus, quid interesset inter Principem & populum? Respondit: Idem quod inter unum & omnia, omnes enim subditi Principem unum spectant, unus autem Princeps omnibus subditis mores & leges præscribit.

Themistoclis electio.

THemistocles audiens quosdam ambire Magistratum: si mihi, inquit, duas vias ostenderitis, unam ad mortem alteram ad tribunal ducentem, eligerem ingredi eam quæ rectà ad sepulchrum ducit.

Tamerlani natale.

BAjazetes Turcarum Imperator exprobrabat Tamerlani natale pastoritium, qui ei hoc responsi dedit, *nescis*

ex ovium lana Regum purpuras fieri. Hic Tamerlanus loco monilis fulmen de torque geſtabat, cui inſcriptum erat, *in terra vapor, in nube terror.*

Terentius de occaſione.

TErentius dicit Conſiliariorum primum dogma eſt, occaſionem obſervare properantem, eſt enim *occaſio anima actionum & rerum gerendarum mater.*

Trajani Juſtitia,

PRofectus ad bellum Imperator Trajanus, cum equum jam conſcendiſſet vidua ei occurrit, alta voce inclamans; Filius meus O Rex te regnante interfectus eſt, imo apprehenſo pede ejus dixit: Obſecro Rex Auguſte, ut cum eum mihi reddere non queas, ſanguinem ſaltem ejus vindicare digneris. Ego, inquit, Imperator, cum rediero, ſatisfaciam tibi; quod ſi non redieris, ait illa, quis mihi præſtabit? Succeſſor meus, inquit Trajanus; at illa, quod ſi faciat quid inde tibi lucri? Nonnè præ-

ſtat

ſtat teipsum exercere juſtitiam, & pro hac exſpectare mercedem, quam alteri eam transmittere? Monitus Imperator pietate equo deſcendit, cauſam viduæ examinavit, eique dignâ vindictâ ſatisfecit.

Tertia, Sexta, Nona Orationis unde?

à Lapide.

TRibus horis, inquit *Pintus*, orabant Judæi in die, ſcil. hora. 3. 6. & 9. *Tertia* quia tunc data eſt lex in Sina. Et eadem hora orat Eccleſia, quia tunc datus eſt Spiritus Sanctus in Pentecoſte. *Sextâ*, quia tunc erectus fuit ſerpens æneus in deſerto; eâdem horâ orat Eccleſia, quia tunc crucifixus eſt Chriſtus. *Nonâ*, quia tunc Petra dedit aquas in Cades, uti & Chriſti latus in cruce tunc perforatum ſanguinem dedit & aquam.

Tribulatio unde?

TRibulatio eſt tritura Dei. Tribulatio enim dicta eſt à tribula, quia ſegetes tribulantur & triturantur, ut grana

grana excutiantur. Tribula verò dicta à terendo, quaſi à teribula.

Tempus præteritum, præſens & futurum à Pictore emblematicè propoſitum.

INgenioſus Pictor juſſus tria tempora emblematicè depingere conſuevit. Primò depinxit in tabula Germanum in colle ſtantem & reſpicientem: ſignificat tempus præteritum, Germani enim præteriti temporis rationem maximè habent. Secundò pinxit Gallum ſtantem ſub porta nec antrorſum nec retrorſum euntem; Galli enim tantum curant præſentia, de futuris aut præteritis parum ſoliciti. Tertiò pinxit Hiſpanum qui tubo optico apicem montis inſpicit; ſignificat tempus futurum, Hiſpani enim maximè providi ſunt circa futura poſt multos annos:

Tres hauſtus.

PRæteritam primus: præſentem proximus hauſtus,

Ven-

Venturam extinguat, tertius ille ſitim.

Triſtis Candoris occubitus.

OCcubuit Candor. *Quo fato?* frigore. *Quando.*
Pridem. *Vbi?* Vbique jacet. *Cur?* quia nudus erat.

Thomæ mori patientia:

TRiſtia quæ pateris perfer, ſors triſtia ſolvet,
Quod ſi non faciat *ſors*, tibi *mors* faciet.

Vngariæ Regina Ladislai Vxor.

HÆc videns Scholarem pauperem jacentem, inquit, *pauper ubique jacet.* Quod audiens Scholaris ex tempore ſic repoſuit:

In thalamis Regina tuis hac nocte jacerem,

Si

Si verum hoc esset: *pauper ubique jacet.*

Versati in litteris quinque dicta.

HOmo quidam litteratus quinque sibi maximè arridere ajebat: scilicet ligna arida ad urendum; caballum exercitatum ad equitandum; vinum mediocris ætatis ad bibendum; amicum festivum ad conversandum; & libros antiquos ad legendum.

Vespasiani benignitas.

VEspasiani filius cum admoneretur ab amicis quod plura promitteret interpellantibus, quam præstare posset; respondit, *non oportet quemquam à Cæsaris colloquio tristem discedere.*

Valeriæ amor in Servium.

VAleria Messalarum soror rogata, cur amisso marito suo Servio nulli vellet nubere; quoniam, inquit, mihi semper vivit Servius maritus meus in corde.

Vera-

Veratij censura librorum.

VEratius magnus librorum fautor de libris in congressu publico dicebat, nullum esse librum tam malum, qui non aliqua tamen parte prodesset.

Viri Cræsi spectaculum.

CRæsum, cum se omni exquisitissimorum ornamentorum genere composuisset, sublimique sederet solio, interrogasse Demosthenē ajunt an pulchrius unquam spectaculum vidisset? Gallos, inquit Demosthenes, gallinaceos, phasianos atque pavones vidi, naturali enim & ingenito nitore millies pulchriore refulgent.

Veridicus interrogatus à vexatico.

AB hoc illum interrogatum volunt cur, cum magnus esset, parvam duxerit uxorem, ego, inquit, ex malis maximis minimum illud, quod habeo, elegi.

Vercel-

Vercelles illusus à Gallo.

VErcelles calvum prætericns, ab eoque convitijs impetitus, nullá, inquit, injuriam tibi faciam, solum dico, sapientes fuisse crines tuos, quia à tam scelesto capite fugerunt.

Viri virtus quid?

PHacionis uxor interrogata quare auro & muliebri splendore non uteretur, satis, inquit, magnus uxoris est ornatus *viri sui virtus.*

Vinum sapidißimum.

ROgatus in convivio lautissimo Diogenes, de quonam vino libentissimè biberet? de alieno respondit.

Uxor onus grave.

PEriclitantibus quibusdam in mari, atque jam propè naufragium subeuntibus, cum jussisset nauclerus ut ejectis oneribus levarent navim, alij merces ejiciebant, alius ereptam suam uxorem in mare præcipitem egit, ajens, hæc mihi maximum onus est.

Vxor quando ducenda?

INterrogatus idem Diogenes à Juvene quodam, quodnam tempus ad ducendam uxorem eſſet aptiſſimum, *Iuveni*, inquit, *qualis tu es, nondum, ſeni nunquam.*

Vxoris Caroli V. gratiæ.

ISabella Caroli V. Imperatoris uxor, in ſymbolo ſuarum virtutum quibus Sponſo placeret, pingi curavit tres gratias, quarum una roſam, altera myrtum, tertia glandem præferret: Lemma: *has habet & ſuperat.*

Vxor Ferdinandi I.

ANna Regina Ungariæ & Bohemiæ Ferdinandi I. uxor manus connexas cum roſa pro ſymbolo amoris habuit. Lemma *Sic in perpetuum.*

Vxor Friderici.

MArgaretha Duciſſa Mantuæ Friderici uxor in ſymbolo habuit duas manus ad ſe porrectas & conjunctas: Lemma *In æternum.*

Urinam quomodo honestè vocent Hebræi. à Lapide.

VOcant aquam pedum suorum, eo quod ad pedes defluat: *Isaiæ 36.* Sicut & aqua capitis sunt lacrymæ, *Ieremiæ 9.*

Vestes funebres quibus coloribus constent. Harsdörff.

V *Iolaceo*, colore solent lugere Reges. 2. *Albo* virgines ad testandam puritatem. 3. *Cæruleo* Syri & Armeni ad indicandum cælum quod suis defunctis optant. 4. *Flavo Ægyptij*, quia quidquid ad mortem festinat, flavescit ante fatum. 5. *In Griseo Æthiopes*, hic enim color mortualis omnium morientium. 6. & communiter in *nigro*, hic enim color noctis, imò & terræ, quæ omnium hominum fit sepulchrum.

Ut à vino quis abhorreat facere. Harsdôrff.

SI quis in vino suffocet ranam aut anguillam, aut ova noctuæ in eo posuerit,

erit, is qui ebibit, planè poſtea abhorrebit à vino. *Notent mulieres, quæ habent vinolentos maritos; vel mariti, qui habent ad maris fundum uſq; ſitibundas & vinolentas uxores*, præſertim qui tales habent, quæ vaſa domeſtica pro vino expendere conſueverunt.

Uxor non quærenda.

Uxorem fuge, ne ducas ſub nomine dotis,
Hæc retinenda tibi, ſi cæperit eſſe moleſta.

Valetudo curanda.

Sit tibi præcipuè, quod primum eſt, cura ſalutis,
Tempora ne culpes, cum ſis tibi cauſa doloris.

Uxori non aſſentiendum ſemper.

Nil temerè uxori de ſervis crede querenti,
Sæpe etenim mulier quæ conjux diligit, odit.

In

In Vanitatem hujus sæculi.

QUid juvat & populis atque urbibus esse potentem?
Structa quid è Pario marmore celsa domus?
Quid famuli prosunt, quid pondera divitis auri?
Quidquid & è rubris colligit Indus aquis?
Quid Tyrio prosunt saturatæ murice vestes?
Quid clarum ingenio nomen habere juvat?
Nerea quid facie, quid vi superare Milonem?
Si tibi post obitum spes sit adempta poli?

Vulpes.

QUod pellis pretiosa mihi, quod pulmo salubris,
Insidiis vulpes insidiosa petor.

Vitis.

ME temere exſcindi lex juſſit iniqua Lycurgi
Cur ego, quod peccent ebria corda, luam?

Veritas.

ERrans lingua locuta ſæpè verum eſt;
Veritas aliquando prodit ultrà.

Vita humana.

VIno vita ſimillima eſt, aceſcit
Portio ultima, priſtinasque vires,
Gratiamque relicta perdit omnem,
Hinc vitæ ſtatus eſt in orbe cunctis,
Gaudemus minus, & magis dolemus.
Qui curis ſine vivit eſt beatus:
Verum illis ſine nemo vixit unquam.

Xenophontis magnanimitas.

XEnophonti Sacrificium peragenti cum nuntiatum eſſet majorem natu filium occubuiſſe in prælio, coronam regiam primo depoſuit, quæſivitque

que quo in loco quâque ratione occubuiſſet; ubi ergo audivit eum fortiſſime pro patria pugnantem fata ſolviſſe, repoſuit capiti coronam, teſtatus, majori id ſibi voluptati quam dolori eſſe.

Xerxes humanam ruinã deplorans.

XErxes innumeras militum copias collegerat, quas luſtrandi gratiâ cum ſe in verticem montis contuliſſet, lacrymis obortis ſuſpirans dixit gemebundus: centum abhinc annis nullus ſuperſtes erit, omnes in cineres redigentur.

Xantippe moroſa Socratis uxor dudum mortua vivit hodiedum in ſuis aſſeclis.

MOrtua Xantippe eſt jam pridem Socratis uxor;
Falſa hæc hiſtoria eſt; *vivit adhuc hodie.*
Vivit adhuc hodie. Non credis? crede Ruperto
Experto. Verè *vivit adhuc hodie.*

Y quid

Y quid significet. Harsd.

HÆc picta in manu liberi arbitrij nota significat Symbolicè viam ad cælum, & viam ad orcum: via sinistrorum versus est lata, dextrorsum versus est angusta, juxta oraculum Christi, *Matth.17.*

Y Pythagoræ littera; hinc arctam virtutum semitam, inde latissimam vitiorum viam videtur ostendere, ut præclarè canit Virgilius.

Littora Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert;
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.

Mol-

Molle ostentat iter via lata, sed ultima
meta.
Præcipitat captos voluitque per ardua
saxa.
Quisquis enim duros casus, virtutis a-
more
Vicerit, ille sibi laudemque decusq; pa-
rabit;
At qui desidiam luxumque sequetur in-
ertem,
Dum fugit oppositos incauta mente la-
bores,
Turpis inops simul miserabile transiget
ævum.

Zeleuci Justitia.

Zeleucus princeps legem tulerat, ut adulter oculis orbaretur, ejusdem unicus filius, paulò post adulteriū commisit, factusque est reus pœnæ, quam tamen populus miseratione commotus in gratiam patris remitti voluit:

Sed patèr lex inquit sancta & Pœna in nobis esto: reperi tamen quo modo lege salvâ humanitati indulgeam:- ego& ipse unum sumus, mihi ergo unus oculus alter ipsi eruatur, factumque est ita, tu lex inviolata servaretur.

Zeuces diu uni picturæ immoratus. P. Engelgraff.

CAusam interrogatus respondit, diu *pingo, quia æternitati pingo.*

Zenonis dictum.

ZEno dicere solebat, solia & urbes decorandas esse non pretiosis ornamentis, sed viris politioribus.

Zelotypus Phanus ridiculè deceptus.

PHanus quum uxorem haberet adulterij suspectam atrij fores sic occlusit, ut non nisi cum stridore sonituque possent aperiri. Verùm cum illa per tegulas adùlterum intromitteret vicini per jocum dicebant, *En Phani ostium*, Quo proverbio annuebant aliquid servatum frustra.

Ze-

Zelosophi Regis cum Marcolpho Recreatio Mensalis.

REx *Zelosophus* cum venatoribus suis & copulis canũ feras persecuturus fortè transibat hospitium *Marcolphi*, divertens itaque illuc cum equo suo inclinato capite, sub limine ostij inquirebat quis intus esset? Respondit, *Marcolphus* homo intus est cum dimidio & caput equi. *Zelosophus* quidest quod dicis? *Marcolphus*. Homo integer ego sum; dimidius, tu es, equo insidens intrò prospiciens inclinatus; caput equinium caballi. *Zelosophus* Ubi sunt tuus pater, tua mater, & frater *Marcolphus*. Pater meus in campis est, faciens ex uno damna duo: Mater mea id suæ facit vicinæ quod ei non fiet amplius: Frater meus extra sedens quidquid invenit occidit: *Zelosophus*. Hæc quid significant? *Marcolphus*: Pater meus in cam-

po eſt, clauditque ſpinis per campum tranſeuntem tramitem, homines autem hac ire impediti novam ſternunt viam, fiuntque viæ duæ, damna duo. Mater mea vicinæ ſuæ mortuæ oculos claudit nullo unquam tempore ei iterum claudendos Frater meus extra ſedens & pelliculas prætendens omnes quotquot invenit pediculos, occidit. *Zeloſophus.* Unde hæc verſutia? *Marcolphus*: Tempore Patris tui, cum eſſem infans, Medici Patris tui famulus, accepit die quadam pro agendis medicinis vulturem, cumque prout neceſſe, expendiſſet membra ſingula, mater tua vulturis aſſatum cor tibi dedit comedendum ſupra cruſtam panis; mihi autem in culina tum temporis nuganti cruſtæ fruſtum in caput impegit, quod ego arreptum comedi; unde mihi, judice me, verſutia, uti & tibi venit ſapientia. *Zeloſophus.* Sic me Deus adjuvet in Gabatha mihi apparuit Deus & me replevit ſapientiâ. *Marcolphus.* Is verè ſapiens eſt, qui ſe ſtultum reputat. *Zeloſophus.* An ignoras quas mihi divitias, quamque

inſuerp

insuper sapientiam dederit Deus? *Marcolphus.* Neutiquàm, scio enim, ubi vult Deus, quod ubi pluat. *Zelosophus.* Subridens, ait: mei me venatores expectant, habeo quod properẽ. Sed dic matri tuæ, ut de meliori quam habet, vacca ollam mihi mittat lacte plenam. *Marcolphus.* Fiet, inquit, ut petis. Jusserat vero *Zelosophus* de eadem vacca ollam cooperiri. Mandatum itaque Regis matri suæ Floscenicæ patefacit *Marcolphus*: Hæc ollam lacte replet, facta de eodem lacte placenta illam cooperit; sicque filium suum Marcolphum Regi transmittit. *Marcolphus* cum ambulans per pratum quoddam fame premeretur, fortè fortuna reperit vaccæ basam, quâ texit suã ollam, devoravitque aliam de lacte placentam. Pergens insuper ad aulam pervenit, & ollã Regi porrexit. *Zelosophus* obstupescens, cur sic, ait, cooperta est olla? *Marcolphus*, nonnè jussisti ut olla de eadem vaccâ contegeretur? *Zelosophus* præstitisset placentã de lacte facere, eamque super imponere. *Marcolphus* factum sic fuit mi Rex, sed fames

mutavit mentẽ. *Zelosophus*. Quomodo? *Marcolpus*, sciebam te pane non indigere, hinc esuriens placentam comedi, & ejus loco basam lacti imposui. *Zelosophus*. missa faciamus ista; sed si hac nocte vigilando te superavero, capite cras tibi constabit. Consederunt itaque simul *Zelosophus* & *Marcolphus*, ubi hic paulò post obdormiscit, cui *Zelosophus* dormis *Marcolphe*? *Marcolphus* non dormio sed penso. *Zelosophus*, quid pensas? *Marcolphus*, penso tot leporis esse juncturas in spina quot in cauda. *Zelosophus*, nisi hoc probaveris reus mortis eris. Iterumque *Zelosopho* tacente *Marcolphus* obdormiscit, cui rursum *Zelosophus*, quid dormis? *Marcolphus*: non dormio, sed penso. *Zelosophus*, quid pensas? *Marcolphus* penso sub sole rem nullam esse ipso die candidiorem. *Zelosophus*, nunquid ergo dies candidior est lacte? Moxque iterum dormiscit *Marcolphus*. Cui *Zelosophus*, adhuc dormis Marcolphe? *Marcolphus*, non dormio, sed penso. *Zelosophus*, quid pensas? *Marcolphus*, nihil tutum esse

cre-

credendum mulieri. *Zelosophus*, hoc à te nisi probetur, morieris. Transactâ ita nocte *Zelosophus* fessus vigilando, paululum requieturus lectum ingressus est. *Marcolphus* autem dimisso Rege festinans currit ad sororem suam *Fudasam*, & se tristari simulans dixit; Rex *Zelosophus* iratus est mihi, nec possum pati injurias & minas ejus, abscondam sub veste meâ cultellum, & hodie in cor ejus infigam, sicque illum occidam. Nunc autem Soror mea charissima ne me accuses rogo. Cui *Fudasa*, Frater mi *Marcolphe*, si vel caput perdendum foret, te non accusarem. Post hæc *Marcolphus* cautè redijt ad aulam, eodem tempore quo *Zelosophus* in throno palatij sui sedebat, jubente Rege lepus quæritur totidemque à *Marcolpho* in caudâ quot in spina juncturæ numerantur. Mox Rege inscio *Marcolphus* lagenam lacte plenam in cubiculo posuit, & obstructis ad prohibendam lucem fenestris Regem vocavit, qui cum venisset pedibus in lagenam offendit, &, nisi manibus se tenuisset, corruisset. *Zeloso-*
phus

phus, Quid, ait, fili perditionis fecisti? *Marcolphus*, noli irasci, nonne candidius esse lac dixisti quam diem: *Zelosophus* parum aberat quin collum frangerem, peccasti in opere tuo, scelus, peccasti, & læsæ Majestatis reus es. *Marcolphus*, habes quod tibi consulas impostérum melius. Nunc autem de eo quod propositurus sum rectè judica. Cumque consedisset *Zelosophus*, *Marcolphus* inquit, habeo sororem nomine *Fudasam*, quæ imprægnata totam dehonestavit parentelam meam, & nihilominus paternæ hæreditatis partem petit. *Zelosophus*, vocetur ad nos, cumque venisset subridebat *Zelosophus*, inquiens, soror tua per pedes atque caput est (figura enim erat curta & deformis, *Marcolpho* similis) dic quid conqueteris de illa. *Marcolphus* Meretrix facta est, & tamen partem hæreditatis paternæ impudenter sibi vendicat; quare rogo, jube Rex inclyte, ut desistat à petitione sua. *Fudasa* repleta furore respondit pessime nequam quid non haberem partem pro hæreditate? si peccavi emendabo.

Mar-

Marcolphus, mediante culpa tua non habebis partem. *Fudasa*, nisi me in pace dimittas dicā de te, quæ propter, Judice Rege, in malā crucē ageris. *Marcolphus* sordida meretrix quid dices? *Fudasa* sceleste latro, occidere Regem intendis; & si mihi negatur fides, quæratur sub veste ejus cultellus. Cumque à famulis Regis sub veste ejus nil inveniretur: *Marcolphus* ad Regem & astantes conversus dixit; nonne verum nil sub sole tutè credendum esse mulieri? Cumque omnes soluti essent in risum, *Zelosophus* ait, omnia per ingenium facis *Marcolphe*. Marcolphus, sed quod credidi sorori meæ fraudulenter publicavit quasi verum. *Zelosophus*, quare autem dixisti plus valere nutritura naturam? *Marcolphus*, ante monstrabo tibi quam dormies. Die elapso Rex cœnaturus cum maximo apparatu suorum ad tabulam consedit, uti & inter reliquos *Marcolphus*; incluserat autē lepidū caput tres mures manicæ suæ: fuerat enim in regia *Zelosophi* curia felis nutrita ut singulis noctib9 teneret duabus ungulis cœnanti Regi

candelá. Cumq; ferè omnes cœnassent, *Marcolphus* emisit unum de muribus, quem conspiciens felis eum insequi voluisset, nutu Regis retenta est vice prima, similiter vice secunda, secundo mure à *Marcolpho* emisso. Tertium autem cum emitteret, felis dejecta candela insecuta murem cœpit. Hoc videns *Marcolphus* ait: Ecce Rex probavi jam plus valere nutritura naturam. *Zelosophus* projicite eum de conspectu meo; & si redierit, canes meos in ipsum incitate. *Marcolphus*, nunc video, inquit, ab aulis esse exulem justitiam. Cumque expulsus fuisset, dixit, Sicnè Rex effugies molestias *Marcolphi*? absit. Sequenti die abiens quæsivit leporem vivũ, eoq; sub veste sua abscondito reversus est ad aulam, quem cum servi *Zelosophi* vidissent, canes omnes in eum incitaverunt. *Marcolphus* verò leporem dimisit, & protinus canes derelicto *Marcolpho* insecuti sunt leporem; sicque venit ad Regem, qui cum eum conspexisset, quis te, huc intromisit? *Marcolphus* calliditas non parva. *Zelosophus*, cave ne sali-

vam

vam mittas de ore tuo nisi supra terram, palatium enim erat stratum tapetibus, & parietes cortinis. Cumque inter colloquia *Marcolphus* tussi nimia premeretur, os ejus abundabat saliva, respiciens igitur prohibitus exspuere in terram *Marcolphus*, vidit hominem calvum à latere Regis, mox collegit salivam in ore suo magnoque impetu exscreavit in frontem hominis calvi. Hic furore & ira percitus ad Regis pedes provolvitur supplicans dignas pro scelere pœnas. *Zelosophus*, quare, inquit, fædasti hujus calvi frontem? *Marcolphus*, non fædavi, sed fimavi, fimatur enim terra sterilis, ut in ea multiplicentur segetes. *Zelosophus*, & hoc quid ad hominem calvum? *Marcolphus*, jussisti ut hodie non exscrearem nisi in terram nudam? vidi autem frontem nudam capillis, credens esse terram ideo exscreavi in illam; non est quod hac de causa irascaris, quia si frequentius frons ista irrigaretur, dubium non est quin capilli reverterentur. *Zelosophus*, Deus te confundat, nam calvi honestatè cæteris

præ-

præſtant, quia *calvitium non eſt vitium, ſed honoris indicium.* *Marcolphus*, calvitium eſt multò magis muſcarum ludibrium. Non vides Domine Rex, quanto magis muſcæ inſequantur frontem hominis calvi quam capillati? putant enim eſſe vas tonabile plenum potu. *Calvus*, ut quid nequàm hic viliſſimus intromittitur ad Regem? projiciatur foras. *Marcolphus*, motam bilem prius compone & tacebo. Interea duæ mulieres venerunt portantes puerum, de quo contendebant, hac ſuum, illa ſuum eſſe aſſeverante. Alterutra enim nocte dormiens oppreſſerat filium ſuum, unde de vivo coram *Zeloſopho* contendebant. Dixit autem *Zeloſophus* ſervis ſuis afferte gladium & dividite infantem, ut unaquæque partē illius accipiat. Quod audiens illa, cujus vivebat filius, dixit, Domine Rex, dabo alteri infantem, hæc eſt enim mater ejus. Cumque huic daretur parvulus, rogabat *Marcolphus* quomodo noſti hanc eſſe matrem pueri. *Zeloſophus* ab affectione, vultus mutatione, & lacrymarum profuſione.

Mar-

Marcolphus, ergonè credis lachrymis fœminæ? tu sapiens neſcis artes mulierum? fœmina dum plorat oculis, ridet corde, oſtendit vultu, quod non habet affectu, loquitur ore, quod non cogitat mente, quot habet artes, tot habet pravitates. *Zeloſophus*, verè meritrix fuit, quæ hunc genuit filium. *Marcolphus*. Quid hoc? *Zeloſophus*, quia vituperas muliebrem ſexum, eſt enim mulier honeſta, concupiſcibilis, honorabilis, amabilis. *Marcolphus*, adde & fragilis & flexilis. *Zeloſophus*, ſi fragilis eſt per humanam conditionem talis eſt, mulier enim eſt de coſtâ hominis, & ei in adjutorium & delectamentum data: mulier enim nihil eſt, quam *mollis aer*. *Marcolphus*, imo verò *mollis error*. *Zeloſophus*, mentiris nequam, exſpuis ſcommata ex ore tuo impudenti in innocentem mulierem, ex hac enim naſcitur omnis homo, eam qui vituperat, vituperandus eſt. Quid divitiæ, quid regna, quid aurum, argentum, quid pretioſæ veſtes, quid gemmæ, quid ſumptuoſa convivia ſine muliere? verè mundo mortuus eſt,

qui

qui ab hoc ſexu ſe ſegragat. Fœmina generat filios, & eoſdē nutrit, diligit, amplectitur. Fœmina regit domum, ſolicita eſt prō ſalute mariti & familiæ, fœmina ſolatium eſt in afflictis, allevatio in laboribus, omnium triſtium oblivio. *Marcolphus*, verè dixit, qui dixit, quod in corde, hoc in ore, fœminas amas, ideo laudas. Divitiæ, nobilitas, pulchritudo & ſapientia concordant tibi, ideo amores tibi concordant mulierum. Scito autem nùnc laudas fœminas, ſed eas vituperabis antequam dormies. *Zeloſophus* mentiris, quia omnibus diebus vitæ meæ mulieres amavi, amo, & amabo, diſcede, & cave loqui mala in conſpectu meo de muliere. *Marcolphus* exiens è palatio Regis vocavit ad ſe mulierem illam, cui vivus reddebatur filius, ſcis, inquit, quæ acta ſint in curiâ? cras tu unam, altera dimidiam accipiet partem de filio tuo. Ad hæc mulier, ô quàm malus Rex & iniqua conſilia ejus! *Marcolphus*, deteriora ſtatuta ſunt, decretum eſt enim, viro cuivis ducendas eſſe mulieres ſeptem, unde penſa quæ mala

ſecu-

ſecutura ſint, ſic perpetuæ erunt rixæ & contentiones domeſticæ, uxorum hæc amabitur, illa deſpicietur, hæc bene veſtietur, illa nuda relinquetur, dilecta habebit annulos, monilia, argentum & aurum, habebit claves domus, & honorabitur à familiâ uti domina, & ad hoc quid dicent reliquæ? pœnitebit eos perditæ virginitatis: iræ, rixæ, contentiones, invidiæ & odia erunt in dies ſingulos, & niſi prohibitum hoc fuerit malum, una alteri præparabit venenum. Quàmobrem nuncia hæc dominabus urbis eisque perſuade ut conſenſum negent Regi & Conſiliarijs ejus. *Marcolphus* cautè redibat ad Regem, & in angulo quodam ſe abſcondebat. Meretrix autem credens verba hæc transvolabat per totam urbem, pectus ſuum quatiens, quæ audiverat divulgabat: & ecce fit concurſus matronarum, vicinæ vicina nuntiat, excitaturque ingens mulierum tumultus. Veniebant itaque ad palatium Salomonis ſeptem millia mulierum, quæ circumdantes aulam, innumeris Regem vitijs divexârunt. Tandem

dem Rex quæſivit quænam eſſet cauſa tanti tumultus: ad hoc una, quæ inter omnes conſtantior & eloquentior videbatur, prodiens reſpondit: Tibi Regi aurum & argentum, tibi pretioſi lapides, omnesque terrarum divitiæ offeruntur, imples omnes voluntates tuas, & ijs nullus reſiſtit: habes reginas plures, ſuperinducis concubinas innumeras, & hæc præter te quis faciet? *Zeloſophus*, unxit me Deus in Regem & non potero voluntates exequi meas? ſatisfac, licet, voluntatibus tuis, ſed ſine præjudicio noſtro. Nos Nobiles de genere Abrahæ ſumus, & legem Moyſis tenemus, ad quid immutabis noſtram legem? facis injuſte. *Zeloſophus* furore repletus quam exerceo injuſtitiam, pudibunda mulier? Mulier, injuſtum eſt ſtatuere, ut unusquisque mas ſeptem ducat uxores, non feremus, non ſinemus. *Zeloſophus* in ira prorumpens dixit; non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris. Commorari Leoni & Draconi placebit melius, quam habitare cum mulie-

muliere nequam : brevis eſt enim omnis malitia & terror, ſuper malitiam mulieris. Mulier eſt initium peccati, & per illam omnes morimur. Talia referente Rege procerum unus aſſurgens inquit: Rex invicte confundis omnes mulieres Hieroſolymitanas. *Zeloſophus* nonne audiviſti quot me convitijs abſque ratione onerent, reſpondebant alter, cæcus, mutus, ſurdus ſit oportet, ad tempus, qui in pace cum ſubditis eſſe deſiderat. *Zeloſophus* reſpondendum eſt ſtulto ſecundum ſuam ſtultitiam. *Marcolphus* proſiliens ex angulo dixit ad Regem, locutus es bene ad voluntatem meam, quoniam hodie laudaſti fœminas, nunc omnimodè vituperas eas: idque erat voluntatis meæ, ut appareat verborum meorum veritas. *Zeloſophus*, quid furcifer, nonne tu excitaſti tumultum iſtum? *Marcolphus*, non ego, ſed eorum puſillanimitas. *Zeloſophus*, apage ſceleſte, diſcede, cave te videam amplius in medijs oculis, & ejectus eſt è palatio *Marcolphus*. Poſt hæc aſtantes Regi dicebant, loquere Domine Rex in aures

mu-

mulierum harum, ut dimittantur. *Zelosophus* ad eas converſus dixit, ſciat dulcedo veſtra me eſſe innocentem coram vobis, & ſine culpa, ſcelus illud, quem modo vidiſtis hæc omnia confinxit. Unuſquiſque vir uxorem ſuam habeat, eam fide & honeſtate diligat, quæ verò dixi de muliere, revoco, retracto. Hoc modo compoſitæ mulieres furibundæ adorantes Regem domum ſeſe receperunt. *Marcolphus* autem moleſtè ferens injuriam ſibi factam cogitabat quid agendum eſſet, invenitque rei modum: ſequenti enim nocte, decidente de cœlo nive, accepit cribrum in manu una, pedem urſi in altera, transverſisque calceamentis ſuis, quaſi beſtia pedibus quatuor per plateas ire cæpit, cum autem veniſſet extra civitatem invenit furnum, quem intravit. Die poſteriori familiares Regis invenientes veſtigia Marcolphi, exiſtimabant ea monſtroſæ cujusdam beſtiæ eſſe, & Regi nunciabant: Qui mox cum copula canum & venatoribus cæpit inſequi veſtigia *Marcolphi*, & cum veniſſet ad furnum

naum & veſtigia defeciſſent, deſcendentes inſpexerunt. *Marcolphus* autem jacebat ſupra faciem, apparebatque ei facies poſterior, quod videns Rex ait, quis eſt hic? *Marcolphus*, Ego ſum, reſpondit. *Zeloſophus*, quomodo hic jaces? *Marcolphus*, præcepiſti mihi ut caveam ne me videas in medijs oculis, quos ſi videre detractes, alibi me vide. *Zeloſophus* confuſus ait miniſtris ſuis apprehendite eum & ſuſpendite ex ligno. *Marcolphus.* Tantummodo mihi concede, ut in ligno, quod elegero, ſuſpendar. *Zeloſophus*, fiat, ut petis. Miniſtri apprehendentes *Marcolphum*, eum educebant, & tranſeuntes vallem Joſaphat & montem Oliveti pervenerunt uſque ad Hiericho, nullam verò arborem invenerunt, quam ſibi *Marcolphus* eligeret. Inde Jordanem & omnem Arabiam peragrarunt, iterumque nullam arborem eligendam invenit Marcolphus, ſicque evaſit manus *Zeloſophi Regis*: Poſthæc autem domum remeans requievit in pace.

In Zoilum.

VExatus pulchrè rides mea Zoile
trita
Sunt hæc trita quidem Zoile sed mea
sunt.

In eundem.

FRigida ais dare me (fateor quoq;)
carmina, verum
Frigida si mea sunt, dic, tua quando
calent?

In eundem.

CArminibus speculum supponam
Zoile nostris
Saltem erit hic aliquid, quod placeat
tibi, Tu.

In eundem.

ISte liber multis placet: at tibi Zoilus
illum,
Quod parvi refert, posse placere ne-
gas
Quid faciam? anne ideo lacerem mea?
& omnia flammis
Injiciam? nolo. Cur ita quæris? ha-
be:

Con-

Convivis ſapiant noſtræ ſi fercula men-
ſæ,
Difficiles flocci pendimus ecce co-
quos.

Ad Lectorem.

INdultum ſatis eſt ludicris candide
Lector,
Principioque ſuus jam venit ipſe
comes.

F I N I S.

INDEX
Antidoti Melancholiæ.

A Littera cur in omnibus 72. linguis sit prima. Pag. 5
A Litteræ mysterium. 6
A Littera unde figuram suam habet 5
Ablatum rarò redditur 4
Advocatus factus Monachus. 1
Ægyptij vocantur musca & Assirij Apes 10
Æthiopes cur nigri? 11
Ænigma de Ansere, Agno & Ape 13
Altero alter carere nequit. 3
Amor quid? 11
Amatur ubique? 12
Amor. 13
Amicitia. 12
Amethysti gemmæ virtus. 0
Annus Platonicus seu Annus Magnus. 8
Annulus. 13

Annulus quo digito gestandi 9
Annulus Caroli Quinti 9
Annulus Oblivionis & Memoriæ 9
Annulus Cardinalis Baronij 10
Anser 12
Anserum è Cilicia volantium silentium 7
Ancona Italicæ Urbs cur ita dicatur 7
Apelles cur Fortunam pinxit sedentem? 6
Aqua quo tempore vino miscenda 8
Aristoteles cur dictus à Platone Mulus 6
Arte quam Marte sis potior 1
Asinus Bibens 2
Asinus Asinum salutans 5
Avarus vinum diluens 4
Austriam gestare quid sit 8
Barba 17
Barba deceptus Judæus 14
Barbata Mulier 13
Barba Rufa 14
Barba veniens 14
Barba vendita ridiculè 15

Bar-

Barbarismi Concertatio 17
Bartholomaana noctes in Gallia 18
Baptismus Lepidus 15
Belgium cur Flandria seu Inferiores Provincia & Germania Inferior dicatur 18
Bescheidt *ut nomen hoc una littera scribatur* 19
Bibendi Cupiditas 16
Bibo lepidus 17
Bibendi mos post dictas gratias unde emanarit? 19
Bibo catharro oppressus 20
Bibulus Pauper 20
Bibulus est Poëta 20
Bombarda vox vnde 19
Cain 26
Caim occidere verborum explicatio
Calvitium Vrbis quod? 23
Camerinam movere unde? 25
Campana 28
Cantoris pessimi supprimitur vana gloria 21
Cardinales cur purpurâ & Galerô induuntur 22

Caro-

Carolus V. urbes ingrediens ad quæ respexit 24
Carthago cur sic dicta 22
Caupo 26
Cerevisia quid? 26
Clerici nomen unde? 24
Colores quatuor principales 25
Colores quatuor in lusu cartharum 25
Conscientia 27
Conjugij Jocus? 27
Conversationis regulæ tres 27
Concionator in Cliviensi Patria 21
Cubare in latus sinistrum cur molestũ & anxium sit? 24
Defunctis quomodo gentiles valedixerint 30
Dentibus laborans 29
Diei bonæ Imprecatio quando cessat & loco illius aliud imprecantur homines 31
Diogenes cur Cynicus dictus 30
Dives quis sit? 31
Divites avari 31
Doctrinæ acquirendæ modi duo 29
Domus quænam facile fiat venalis 29

Ebrie-

Ebrietas 35
alibi 36
Ebrietatis Imago 36
Ebrius vinum non accuset 37
Ebrij ridiculi Nautæ 32
Elias gratiosus Grammatista 33
Epitaphium Semiramidis 32
Epitaphium Potatoris 34
Epitaphium hominis 35
Epitaphium in Andreã de Anguillis 35
Equites Lepidi 33
Errata aliquorum aperta aliorum occulta 34
Eva 35
Ænigma de eadem 35
Expone hoc Epitaphium 37
Facetum rustici dictum 37
Facetum de parvis 38
Facetum ridiculum 38
Facetum 39
Facierum humanarum diversitas 40
Foramen aut Rima per quam videre licet quid in orbe agatur 41
Formosa mulier vitanda 42
Fœmina 43

Fortuna 43
Fortunæ inconstantia 43
Frons exigua stupidum arguit 40
Fumus nos vos unde suam Etymologiã 41
Fur mori maluit quã deformem duce-re uxorem 41
Fumus 43
Galenus Angelus Anagramma 47
Gallus Gallinaceus 47
De quodam Gallo 47
Gandavum quid significet 44
In Garrulum 46
Gratiarum Actio ridicula 44
Gratia Principum instabilis 44
Gheusij quando ita appellati 45
Græci cur non habent nomen quod si-gnificet ineptus 46
Heresis Nudipedum unde olim orta 50
Herbipolis vino abundans 48
Herbipolensium mulierum investitu olim simplicitas 49
Henricus VIII. *Rex Angliæ* 50
Hæc quatuor animalia puris vescun-tur Elementis 54
In Helium 53

Ad Herodotum 54
Hirſauienſes 51
Hirundines 52
Homo quid? 52
Homines non egentes Horologio 50
Homo ex quibus agnoſcatur 50
Honorarium Alchymiſtæ 51
Hugonotti nomen unde? 47
Iactabundus Miles 54
Interpretatio Litt. S.P.Q.R. 56
Inquiſitio Catholica quando & à quo cœpta 58
Interim *quis libellus* 58
Invidia 60
Iocus in Belgas 60
Ira 61
Iudæi cur Francofurti geſtent flavum Circulum in veſte? 59
Iudæi cur ſcribant à dextra ad ſiniſtrã 59
Iuniperus 60
Laco 46
Lacon alius 46
Lanterlülorum deſcriptio 60
Legati reſponſum facetum 61
Legatus Thebanus de Iſmenia 61

Libe-

Libera nos Domine 65
Lingua bona 65
Litteræ labiales seu Infantiles 62
Longitudo Hominis 62
Ludus Cartharum Anagramma 63
Ludus Cartharum & Achrostiche 63
Lusus hujus alia Explicatio 63
alia adhuc Explicatio 64
Lucrum bonum malum 56
Manus mortua quænam? 71
Medicorum facies tres 73
Medicorum Scomma 73
De Medico 70
In Mendacem 73
Mel in ore fel in cauda 66
De Molitore 70
Morum mutatio 68
Mulier cerebrosa 66
Mulier Phantastica 67
De Mulieribus 67
Mulierum fragilitas 67
Mulierum novem pelles 68
Muliere præficæ quæ dicerentur à Gentilibus 71
Mulier temulenta 72

Mulier perfida 73
Mundi hujus abusus 66
Nauta Hollandus 75
Nationum mali colores 76
Nemini quidquam debeas 77
Neo sponsæ cur olim limen domus non tangerent 77
Ne rixis aliorum te immisceas 75
Non à quovis accipe 76
Nomen DEUS in omnibus linguis quatuor litteris constat 77
Nox 78
Nullius valoris res 77
Nuptiæ secundæ raro felices 74
OO documentum Philosophi 80
Oculi sunt ultimum vivens & primum moriens 79
Occulta Secreta 81
Opilio 78
Orpheus novus 78
Oratio inutilis 81
Orbe Circulari cur decorant Ethnici suorum Deorum capita & Christiani Sanctorum 81
Ordo cibos imponendi 81

Erigo

Origo nocturnorum Ecclesiasticorũ 71
Passer 101
Pavus 100
Pavo 120
Paupertas jacet 97
Paupertas quomodo fugienda 90
Patibulo affigendus 83
Pecunia rapit omnes 82
Pecunia fide potior 90
Pergamenæ pelles unde habent nomen 94
Petrus bibulus 97
Patientia 101
Pinguis Dominus Equus macer 83
Placenta mellita cur olim in epulo Nuptiali Sponsæ & Convivis darentur 94
Poloni Equĩtes cur animalis exuvias in castris in tergo gerant 93
Podagrici cur loquaces 83
Podagra 91
Poetæ famelici 91
Poëta quid? 98
Pontifex Romanus cur Sanctissimus vocatur 03

Pontificum primus qui nomen suum mutarit 93
Potatores 96
Potatoria Legis Epilogus 99
Polonia laus 97
Phalera Poëtica recreat: causa adjuncta 98
Proditio 99
Prandium quale, Cœna talis 89
Prognostica Narbonensium 84
Prudenter 98
Psalmi graduales vnde dicti 95
Pudibundi cur frontem perfricent manu 95
Purgatio loculorum 90
Pyramides Ægyptiacæ quid significent? 101
Quæ aqua maximè nutriuntur homines 106
Quæ aqua pretiosissima 106
Quæ prudentem faciant 104
Quare oves albæ plus comedant quam nigræ 107
Quæstio, pendetne Canis à cauda vel contra 103

Qui viri probi 104
Quid fortissimum sit 104
Quinq; plus sunt quam septem 105
Quid intelligitur & hoc apprendent 7. mulieres virum unum 105
Quid cogitandum de mulieribus quæ caput velis ornant vulgo mit Floren 106
Quis nunquam natus est mortuus 106
Quinam homines à Principibus diligendi 103
Quis nasus est optimus 103
Quomodo vivendum 108
Quod sunt claves Sapientiæ 108
Quod sunt genera Avaritiæ 107
Quod sunt abusus seculi 107
Quomodo Isac *scribatur una littera* 103
Regulæ Nuptiales 110
Responsio Æsopi 112
Religiosus 113
Risum moventia 113
Roma nominis Litteræ Symbolicæ quid significent 113
Rufus 109
Rusticus Fuldensis 109

Rusti-

Rusticus & Princeps 109
Sabbathum Judæi lepidum 118
Saccus triplex 122
Sartorum famuli 122
Satrapa vox unde 121
Servitium sine mercede 126
Sepultura Asini 121
Seria omnium Regionum M. *Jo. Pileatoris descriptio* 119
Seria totius Italiæ descriptio 122
Studiosi incuria 119
Suæ quisq; sortis Faber 122
Sus 186
Tarentinum conjugium 128
Taurus Prætoris 127
Tamerlanis natale 130
Teutonis mandatum lepidum 127
Themistoclis Electio 130
Terentius de Occasione 131
Tertia Sexta nona Orationis unde? 132
Tempus Præteritum Præsens & futurum 135
Thraces natos plorant 129
Templum honoris 129
Thomæ Mori Patientia 134

Tristis Candoris occubitus 130
Trajani Iustitia 131
Tribulatio unde 122
Tres haustus 133
Timonis Prudens Responsio 130
Tyranni bellaria Martis 129
Tribus modis Sapientes agnoscuntur 128
Turcarum Imperator 124
Valeria amor in Servium
Versati in Litteris *quinq; dicta* 135
Veratij Censura Librorum 136
Veridicus Interrogatus à vexatico 136
Vecelles illusus à Gallo 137
Veritas 142
Vestes funebres quibus coloribus constent 139
Vespasiani Benignitas 135
Viri Cræsi spectaculum 136
Viri Virtus quid? 137
Vinum sapidissimum 237
Vitis 141
Vita Humana 142
Urinam quomodo honestè nominent Hebræi 139

Unga-

Ungariæ Reginæ Ladislai *vxor* 134
Vxor onus grave 137
Vxor quando ducenda 138
Vxoris Caroli V. *gratiæ* 138
Vxor Ferdinandi I. 138
Vxor non quærenda 140
Valetudo Curanda 140
Vt à vino quis abhorreat 139
In Vanitatem hujus seculi 141
Vulpes 141
Xantippe morosa Socratis vxor dudum mortua: vivit hodiedum in suis assectis 143
Xenophontis magnanimitas 142
Xerxes humanam ruinam deplorans 143
Y quid significet 144
Y Pytagoræ Littera 144
Zeleuci Iustitia 145
Zeuxes diu uni picturæ immoratus 146
Zenonis dictum 146
Zelotypus Phanus ridicule deceptus 146
In Zoilum 164
In eundem 164

Erra-

Errata sic corrigat benevolus Lector.

FOl. 5. increpando erumpit, *lege*, increpando eum erumpit. *fol.* 10. amethisti. *corrige*. amethysti. *fol.* 12. nil ego amore. *leg.* nil ego amare. *fol.* 14. rufosque files. *corr.* fideles. *fol.* 18. appallatur. *corr.* appellatur. *fol.* 20. catarro. *corr.* catharro. *fol.* 22. Kartha in idem. *corr.* Kartha enim idem. *fol.* 24. cequis. *corr.* ecquis. *fol.* 27. Caim. *corr.* Cain. *fol.* 34. arrorem. *corr.* errorem. *fol.* 49. Serias. *corr.* Sericas. *fol.* 61. dolere. *corr.* dolore. *fol.* 66. uxorem snma *corr.* suam. *fol.* 68. devotat. *corr.* devorat. *fol.* 90. frequentia conviviæ. *corr.* convivæ. *fol.* 95. Cicerone. *corr.* Ciceroni *fol.* 95. verecundiorum *corr.* verecundiorem. *fol.* 95. unde diciti. *corr.* dicti. *fol.* 96. Pau. *corr.* potatoriæ. *fol.* 103. suqra. *corr.* suprà *fol* 113. Ehica. *corr.* Ethnica. *fol.* 114. ad. *corr* at. *fol.* 115. interpellere. *corr.* interpellare *fol.* 119. descripto. *corr.* descriptio. *fol.* 120. Wicensium. *corr.* Svvicensiũ. *fol.* 125. Verbinũ *corr.* Urbinum. *fol.* 126. Naria. *corr.* Narnia. *fol.* 126. Sanctam. *corr.* Sanctum. *fol.* 137. Phaiionis. *cor.* Phocionis *fol* 137. eveptam. *corr.* acceptam. *fol.* 144. finistiorum. *corr.* finistrorsum. *fol.* 146. tu lex. *corr.* ut lex.

F I N I S.